

www.e-rara.ch

**Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum
disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]**

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22314>

De peste seu pestis antidoto spirituali.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Disp. de Pestis antidoto spirituali Kal. Julii 1637. Resp. Jacobo Migrodio propositam, & a. 1638. unâ cum Epistola de termino vitæ recusam in 8. postea per decem capita distinctam, Leidæ a. 1654. apud Joh. Elzevirium una cum tract. theologicis Beza, Riveti, Hoornbeck denuo excusam, visum est hoc loco exhibere.

D E P E S T E S E U P E S T I S

Alfred. Cal. 493

ANTIDOTO SPIRITUALI.

Theologis Theologicè de Peste tractandum, docet omnium Ecclesiarum ac concinatorum consensus & praxis, quotiescunque malum hoc alicubi grassari contigerit: insuper tractatus de eâ conscripti à nostris Beza, Lavatero, Thoma Fabritio, Mollero medit. in Psal. 91. Luca Trelcatio Juniore; à Pontificiis Hieron. Pravidello, Francisco Ripa, & nuper Philiberto Marchino in satis magno volumine cui tit. Bellum divinum: ut jam non dicam de epistolis Calvini, & Zanchii commentar. ad Philip. 2. & iis, quæ Casuista ac commentatores in Decalogum, & ad loca scripture Psal. 91. Exod. 9. 2 Samuel 24. 1 Paralip. 21. Ezech. 5. & 14. passim annotant. Quorum vestigiis insistentes, imprimis quia hoc studiosi nonnulli efflagitant, ea quæ in ordinariâ locorum communium explicatione ante hac de Peste commentari sumus, diatribæ hæc comprehendimus:

Ubi 1. causas hujus mali. II. Antidota indicabimus. III. Controversiam principalem de fugâ Pestis decidemus. IV. Ad problemata & casus quosdam respondebimus.

C A P U T I.



Ausam efficientem statuimus tum insipientem, tum meritariam. Illa est vel prima vel secunda. *Prima*, est Deus ut omnium malorum tristitum (Amos 3. 6.) ita & hujus author. Tria epidemica & communia Dei flagella plerumque numerantur; *fames, bellum, pestis* Levit. 26. Deut. 28. Jerem. 14. & 21. & 24. & 27. & 29. & 32. & 34. & 38. &c. Ezech. 6. Quartum *ferarum* scil. additur Ezech. 5. & 14. Non malè alioquin cum Cardano de Varietate lib. 8. c. 45. septem calamitatum humanarum genera communia enumeres; terræ motum, inundationem, Ventum, Animalia, Pestem, bellum, famem.

Pestis peculiari quâdam ratione Deo tribuitur, tanquam malum *penale* tum ortu suo, tum eventu & effectu, aliisque in eâ admirandis, de quibus infra.

Ortu quidem, quia magis immediatè est à Deo & minor mediorum in naturâ apparatus, saltem qui à nobis deprehendi possit. Hinc manus Dei vocatur

tur

tur *Exod.* 9. 3. Et ad eam nihil confert ministerium Moſis & Aaron, ut *ibid.* notant *Pererius*, *A Lapide*, *Rivetus*. Viderunt tale quid Ethnici, cum morbis nonnullis, ſpeciatim peſti, divini quid ſubefſe dixerunt. Hinc *Homerus Iliad.* 1. peſtem πῆστις Apollinis ſagittis immiſſam canit.

Eventu & effectu quia præſens exitium plerique affert, & in homines vindictam divinam exercet, unde Hebræis רכר à rad. רכר quæ in *pihel* etiam ſignificat perdidit, interfecit 2 *Paral.* 22. 10. coll. cum 2 *Reg.* 11. v. 1. & ſic peſtis *Pſal.* 91. 6. cum קטב, id eſt, exterminio, exitio conjungitur, & exitium peſtis dicitur *Hof.* 13. 14. Quo reſpectu & manus Dei, & ſagittæ volantes *Pſal.* 91. 5. cum *Deut.* 32. 24. *Ezech.* 5. 16. Appellatur etiam ſynecdochicè מגפה maggepha, id eſt, plaga 2 *Sam.* 24. v. 25. *Pſ.* 106. v. 29. 30. Chaldæis מוּתָה mota, id eſt, mors *Exod.* 9. v. 15. 2 *Sam.* 24. v. 13. & מוּתָנָה motana *Pl.* 106. v. 29. 30. 2 *Sam.* 24. v. 25. Syris מוּתוֹנָה mautono 2 *Sam.* 24. v. 13. 15. 25. & pluraliter mautone מוּתוֹנִים *Matth.* 24. v. 7. Arabibus mauto 2 *Sam.* 24. v. 25. Et Græcè *Apoc.* 6. 8. dicitur quarta pars orbis occiſa eſſe ἐν ῥομφαίᾳ, ἐν ἐν λυγρῇ ἐν παντί 1. peſte: quomodo & Galli peſtem graſſantem vocant mortalité; Belgæ de Sterfte. Rabbinis præterea dicitur אנדרלומסִיָּה androlomofia & רַר לוּמוּסִיָּה, (quod ex Græco, ἀνδρὸς λωμός.) R. Sel. Jarchi in *Gen.* 6. 13. & Bereſ. Rabba ſect. 32.

Cauſa ſecunda eſt vel ſupernaturalis, vel naturalis. Ille eſt angelus bonus, 2 *Samuel.* 24. 16. cum 1 *Paralip.* 21. 15. 16. & 2 *Paralip.* 32. 21. Percuſſorem primogenitorum Egypti malum fuiſſe multi (*Lyranus*, *Abulentiſ*, *Marchinus*, &c.) contendunt, collato *Pſal.* 78. v. 49. Non video tamen rationes eorum cogere. Etiam angelus malus, Quod analogicè colligimus ex *Job* 1. v. 7. 8. ſi enim ulcera potuit inſigere, ſi per ſe aut per Magos venena miſcere & hominibus afflare; quidni & peſtem excitare, ejuſque contagio aliquos inſicere? De Magis peſtis incentivis infra. Hic ſaltem notandum morbos juſtā Dei permiſſione à diabolo hominibus inſigi *Luc.* 13. 11. 12. 16. de quo in *Diſp.* noſtris tit. de *Demonibus*, de *Magiā*, de *Energumenis*.

Cauſa naturalis & definita anxie quæritur, nec tamen hætenus quid commonſtratur, quam indefinitè occulta qualitas, & quaſi venenum quoddam, quod tale & totuplex eſt ut exprimere illud vix valeant omnes ἱατρὸν πᾶσις; qui poſt omnium diſquiſitiones, poſt infinitas experientias, à morbis intemperiei ſe depulſos in morbis totius ſubſtantię ſeu occultarum qualitatum, ſacrum hunc ignem ponere coactos ultro fatentur. Inſtar omnium teſtes ſint nobis *Job.* *Antonius Saracenus commentar. de Peſte cap.* 2. *Follinus in Amuleto lib.* 1. *cap.* 3. 4. 5. 6. *Sennertus Inſtitut. lib.* 2. *part.* 2. c. 12. & de *Febribus lib.* 4. *cap.* 1. *Gulielm. Marquis Decad. Peſtiſuga probl.* 1. *Julius Palmerius de Morbis Contagioſis, de febrī peſtil.* c. 5. 6. Adeo ut non ineptè

Philibertus Marchinus Theologus Pontificius rationem daturus cur Speculationi suæ de peste titulum *Belli divini* præfixisset, ita *dinologia* illam exorsus videatur Proleg. §§. *Ea viget apud vulgares homines stulta depravataque opinio, ut si urbs aliqua aut Provinciæ pestilentia quandoque afficiatur, ejus originem, terram potius quam cælum aspicientes, vel in solas referunt naturales causas, vel in humanam aliam peculiaris eventus causam.* Hoc tamen non dicimus, nullas inferiores causas hic locum habere, sed eas earumque operandi modos plerumque nos latere: ut tantò magis admiratione, religione & metu judiciorum Dei abducti, dicamus quòd Magi Pharaonis de pediculis: *ecce digitus Dei*. Unde proclive est morbi hujus peculiare adjuncum colligere: Quod in se multa habeat admiranda, quæ ingenia Physicorum non lassent tantum sed & longè superent, de quibus ingenuè Sennertus lib. 4. c. 1. in fine: *Qualis tamen sit pestilentialis veneni natura, & quæ ejus in qualibet pestilenti constitutione differentia, nemo hæcenus satis explicavit.* Talia sunt hæc, ut J. C. Scaliger Exercit. 2 18. sect. 8. ait, quæ latent animos temperatos, illudunt curiosis.

Sed occulta ista naturæ miracula *αἱ ἐν τῷ πνεύματι* ad admirationem operum Dei & gloriam ejus delineemus. Sunt autem ea in *Ortu*, in veneno seu maligna & occulta qualitate, in contagio, in concomitantibus, in effectis & antidotis.

I. In *Ortu*, quod occasionem illi aliquando det terræ motus, aliquando aëris siccitas & calor, aliquando humiditas, frigus, aliquando fames, aliquando aquarum constitutio, aliquando venenati, sive animalium, sive vegetabilium, sive fossilium halitus, aliquando aër inclusus (*Guliel. Marquis probl. 1.*) aliquando nulla talis occasio compareat.

II. In *veneno*, quod tam multiplex sit, ut analogicè omne ibi reperiatur quidquid in natura minerali, vegetabili, animali hæcenus deprehendi potuit; & quotidie novæ pestis species exoriantur. Quod post alios omnes observavit, & dilucidè probavit *Gul. Marquis probl. 1.* Ubi præter venenum napellinum, aconitale, arsenicale (de quo *Follinus lib. 1. c. 6.*) indigat hyoscyamicum, helleborinum, euphorbianum, cicuticum, Mandragoricum, cantharidicum, &c. *Kircherus in mundo subterraneo lib. 9. § 2. p. 130.* ait omnia venena per magnetismum operari.

III. In *contagio*, quod tam mirabile sit ejus seminum, ejus generatio, ejus vehiculum sive aër sive halitus, ejus vis & modus disseminandi, &c. de quibus vide *Sennertum lib. 4. c. 2.* & graphicè in peste tempore *Euagrii* historici grassante, ipse describit *lib. 3. c. 28.* Nobis hic imprimis mirari subit diversitatem applicationis ad objecta specie aut numero distincta. Est quod inficit pecudes non homines, & viceversa. Vide *Exod. 9.* est rursum quod inficit hos po-

populos, non alios; quod populos alios frequenter, alios rarissime, alios nunquam, ut de Nigris testatur *Scaliger Exercit.* 32. Est quod alicubi divites magis quam pauperes, & vice versa; rursus foeminas magis quam viros, & vice versa (vide *Marchin. part. 10. prob. 2.*) juniores magis quam senes; eos qui nunquam aut raro ad peste infectos accedunt, quam eos qui perpetuo illis adsunt; eos qui fugiunt magis quam eos qui in medio (ut loquuntur) incendio subsistunt; eos qui in domo infecta versantur magis quam alios ibidem commorantes; ad hæc robustos & sanos magis quam afflictæ aut dubiæ valetudinis; Denique quod quosdam solo aspectu, aut per fomitem facile inficiat, alios verò vix per contactum quamvis etiam contrectent, cujus memorabile exemplum apud *Euagrium histor. eccles. lib. 3. c. 28.* Plura docet experientia, & aliquà ex parte notavit ex Scriptoribus de *Peste Gul. Marquis prob. 1. p. 13. 18. 21. 33.*

IV. In effectis, quod tam multas orbis partes pervadat, (e.gr. anno 1382. & 1450.) & quod tantam stragem tam brevi tempore inferat, adeo ut eleganter & piè à Joh. Antonio Saraceno tract. cit. c. 1. ultoris numinis seu character, dicatur. Athenis olim ita sævit, ut nullus ferè fuerit quem vel morbus, vel mors, vel luctus non attigerit; de quâ *Thucydid. lib. 2. & Lucetius lib. 6.* Talis fere universum orbem pervasit anno 1030. Alia sub Vespasiano Romæ quotidie 10000. hominum tollebat, teste *Eusebio in Chronico.* Similis Constantinopolitana *Nicephor. lib. 15. c. 10. Procop. lib. 2. de bello Persico;* & altera sub Leone Isaurio anno 1345. totos quinque annos per orbem grassata dimidiam hominum partem abstulit. Sub Benedicto VIII. (teste *Plarina*) plures ex peste mortui fuerunt, quam superstites. Exempla alia quam plurima porro petantur ex Historicis, & Scriptoribus de Peste, aut si quis compendio studeat, ex Chronologis & eclogariis qui Historicos annotant; qualis inter alios *Sethus Calvisius in Chronolog. & Zwingerus in Theatro.* Imprimis in effectis hujus morbi stupendum est, quod tam subito & inopinato homines sanos sæpe vix sentientes occupet & interimat. *Scaliger loc. cit.* testatur quorundam peste infectorum urinam & pulsam à sanorum non differre. *Dominic. Terillus tract. de Causis mortis repentinæ c. 5.* refert, a. 1576. peste per annum grassante, nonnullos horrendum spectaculum dedisse, qui cum nocte somno & quieti se dedissent, mane profundissimo somno immersi reperiébantur, nec unquam postea experrecti sunt. *Cavdanius lib. 8. de Varietate rerum c. 45.* ex peste Mediolani a. 1524. homines bene valentes intra sex aut octo horas mortuos fuisse: ibidem refert Prothasium Rovellum vidisse panem recentem nocte aëri expositum non solum mucidum factum, sed totum scatuisse vermiculis; tantam tunc fuisse aëris putredinem. *Agricola lib. 2. de Peste* scribit, octuaginta homines momento temporis ex multitudine ad

orandum convocata interuisse, sine ullâ notabili alteratione præviâ. Idem de loquentibus, incedentibus, ex variis autoribus refert *Sennertus cap. 2. pag. 639.*

V. In concomitantibus & connexis hujus mali, hoc horrorem & stuporem adfert, quod tam varia morborum & symptomatum genera cum peste conjungi soleant, qualia sunt, oculorum privatio (*Nicephor. l. 1. c. 16.*) deliria, febres, vigiliæ, somnus profundus, aphtæ & oris ulcera, angina, pleuritis, vomitus, bubones, carbunculi, diarrhoea (quæ enumerat *Sennert. lib. 4. cap. 1.* & ex parte *Lucret. de rerum naturâ lib. 6. Seneca in Oedipo chor. 1.*) Confer historiam *Euagrii loc. cit.* Et *Procopii de bello Persico lib. 2. & Thucydidi de bello Peloponnesi lib. 2.* ex tribus illis historicis imprimis admiranda pestis cognosces. Delirii phrenetici & immanis insanix tristissima ac nefanda effecta apud Cavares & Lugduni anno 1564 1629. accidisse narrat *Jesuita Raynaudus tract. de Martyrio per pestem part. 4. cap. 3. pag. 543. 544.* Meminit etiam *ᾠδὴ πλῆρας*, mentagræ, & insanix *Joh. Saracenus cap. 1.*

VI. In Antidotis, quod in specialibus ad has aut illas speciales pestes seu venena in hac aut illâ civitate, immo in hac aut illa familia, aut homine tanta sit varietas, tanta incertitudo, ut magna pars sæpe perierit, antequam natura veneni nota sit. Hinc fit ut, quod huic præsens remedium, alteri sit præsens exitium. Et hinc tam diversæ Medicorum atque Empiricorum de phlebotomia, aliisque therapeutices partibus sententiæ, ut videre est apud authores supra cit. Adeo ut mali pertinaciâ, aut incertitudine suâ victi ad desperationem nonnunquam adigantur, quod accidit in peste Atheniensi apud *Thucyd. lib. 2.* Quin & hodie post tam frequentem experientiam non desunt, qui conquerantur, cum adversus omnia alia venena in promptu sint propria remedia, adversus pestem tamen nondum tale quid inventum. Sic *Sennertus lib. cit. c. 2. p. 686.* Cum prudentissimi Medici fateantur, verum & specificum pestilentis veneni remedium homines latere. Et graviter (citante *Marchino*) de eo conqueritur *Jul. Palmerius libr. de Febri Pestilenti. 17.* Ubi conquestus, quod cum à majoribus morbo Hispanico, veneno canis rabidi, & scorpionis inventum esset remedium & quidem adeo tutum, ut quisquis opportune usus fuerit, liberetur & convalescat; nullum tamen hæcenus pesti inventum sit: subdit hæc verba: *Videndum est, inquit, ne inscrutabili Dei consilio nobis illius cognitio denegata sit, ut hoc insanabili morbo tanquam flagello in homines animadvertat.* Quin & præstantiss. Medicus *Diomedes Amicus lib. de Peste c. 30.* docet, in pestilentiis nihil ad salutem proficere remedia. Hæc tamen eum in finem non adduco ut à remediis homines abducam, sed doceam potius admirari, & respicere percutientem Dei manum.

C A P. II.

Causa meritoria sunt hominum peccata: Interquæ eminent clamantia cilla & epidemica, quæ passim grassantur, luxus, superbia & animi elatio, imprimis Magnatum 2 Sam. 24. Justitiæ violatio, & multæ bonorum aut cædes aut oppressiones Exod. 9. & 12. 2 Paralipp. 32. Plutarchus in libr. de serâ Numinis vindicta narrat, ob interfectum Æsopum Delphios fame, peste, teterimisque morbis à Diis percussos. Ex Ezech. cap. 5. & 14. Jerem. 29. cum Exod. 9. & 12. colligimus, contemptum & abusum verbi divini esse causam pestis. Idem de Cœna Domini habes 1 Cor. 11. 30. Gregorius Nyssenus in vitâ Thaumaturgi, causam pestis facit dæmonum cultum, Magiam, theatra & spectacula, quæ dæmonolatriæ plerumque sunt appendices.

Finales causa, quas cum effectis conjungimus in genere sunt pœna & vindicta erga præfactos peccatores; & castigatio erga convertendos, probatio & excitatio converforum Amos 4. cum Ezechiel. 14. In specie exprimam eas verbis Cypriani de Mortalitate: „Pavore mortalitatis & temporis accenduntur tepidi, constriunguntur remissi, excitantur ignavi: desertores commpelluntur, ut redeant: Gentiles, ut credant. Verus fidelium populus ad quietem vocatur; ad aciem recens & copiosus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus sine metu mortis, cum prælium venerit, qui ad militiam mortalitatis tempore accedit. Quid deinde illud, fratres dilectissimi, quale est, quam pertinens, quam necessarium, quod Pests illa & lues, quæ horribilis & feralis videtur, explorat justitiam singulorum; & mentes humani generis examinat? An infirmis serviant sani; an propinqui cognatos piè diligant; an misereantur servorum languentium domini, an deprecantes ægros non deferant medici; An feroces violentiam suam comprimant; an rapaces avaritiæ furentis insatiabilem semper ardorem vel metu mortis extinguant; an cervicem flectant superbi; an audaciam leniant improbi; an pereuntibus charis vel sic aliquid divites largiantur & donent sine herede morituri. Ut nihil aliud mortalitas ista contulerit, hoc Christianis & Dei servis plurimum præstitit, quod martyrium coepimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere: Exercitia sunt nobis ista, non funera, donec animo fortitudinis gloriam contemtu mortis præparant coronam. Hactenus Cyprianus.

Confectarium 1. Definitio Theologi Jesuitæ Corn. à Lapide quam ex Ficino (ut opinor) depromptam exhibet in comment. ad Exod. 9. Pests est venenosus quidam vapor in aëre concretus, vitali spiritui inimicus, qui omnem humo-

rem inficere potest, sed potissimum sanguinem, secundo choleram, tertio phlegma, quarto melancholiam; nec theologica satis (ut ex thesinostâ 1. & 2. cuius facile patet) nec etiam Logica & Medica, ut supra omnes alios docebunt te Folinus & Sennertus, qui accuratè in definitionem pestis inquirunt.

II. Philibertus Marchinus Regularis & Theologus Florentinus in Bello Divino edito anno 1633. prolog. S. 4. Italis suis Gallia tam propinqua hac sabella loco exempli declarat finem & effectum pestis: Sed quid plura persequar? Nonne ex pestilenti calamitate, quæ quatuor ab hinc annis apud Lugdunenses desævit, & per universam fermè Galliam grassata est, Calvinismi excidium, hæresium abjectio, veterisque Catholicæ religionis restitutio veluti *Joh. Grillo* de Peste Lugdunensi scribens testatum reliquit, maximâ ex parte secuta est? Circumstantias narra, ô bone Historice, ut fidem tuam liberes; Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

C A P. III.

Prophylactica & remedia in genere eadem sunt, quæ omnium morborum, immo & afflictionum in hac vitâ quorum copiam suggerent Scriptores, de Cruce aut de Patientia, aut de Consolatione fidelium. Nunc tantum quædam specialia & propius applicata huic præsentî negotio indicamus, eaque tum privata, tum publica. Sit ergo privatum prophylacticum.

I. Insigne illud cardiacum gratiæ Dei (*Hebr. 13. 9.*) cujus quotidie dosis præparanda, fide renovatâ eam credendo, spe firmâ expectando, ignitâ caritate desiderando, devotis precibus flagitando.

Præparatorium autem & præambulum ejus sit lectio & meditatio *Pf. 91. & 103.* aut *Rom. 8. Hebr. 12.*, &c. Cui si quis adjunxerit subinde lectionem aurei istius sermonis Cypriani, de Mortalitate aut meditationis Moleri in *Psal. 91.* operam sane non luserit.

II. Est, oppugnatio metus mortis, per fidem & fortitudinem Christianam. Illo enim profligato non est quod ita metuamus pestem. Hic enim stimulus pestis: hoc contagium, hoc venenum, hoc φοβερὸν πικρὸν φοβερά-
πικρὸν, quod certam mortem ut plurimum in se contineat. Sunt & alii morbi contagiosi, nec minus miserandi, sæpe multo magis quam pestis, ut dysenteria, calculus, synochus putrida, &c. sed non ita ad mentionem eorum homines expalleſcunt, aut fugiunt. Quæ differentia specifica? Metus mortis. Ut autem fidem & animum in Christo adversus mortem obfirmatum invenias, exerce te in præparatione ad mortem, & meditatione brevitatis ac vanitatis hujus vite. De qua egimus in prælectionibus de *Ascetica Christiana*, ubi & authores indicavimus.

III. Contemplatio paternæ providentiæ divinæ, in quam tanquam pulvinar coelestis securitatis recumbunt animæ nostræ. Ab illa enim sanitas & morbus, vita & mors, morbi mortisque modus & momentum dependet. Illa præsidet omnibus causis secundis, pertingit à fine ad finem fortiter, nihil casu aut fortuna sanitati & vitæ nostræ decessit, nihil eveniet, quod non sit in bonum nostrum *Matth.* 10. 30. 31. cum *Rom.* 8. 28. Non diffundimus nos in explicationem hujus prophylactici. Videndi authores de Providentia Dei citati in *Dissertat.* nostra de *Termino vitæ*, & argumenta quæ ibidem attulimus.

IV. Renovatio & excitatio resipiscentiæ nostræ: ut intima nostra accuratè scrutemur *Zephan.* 2. 1. 2. *Threnor.* 3. 39. 41. 42. 43. priusquam Dei manus, & ignis hic consumens ædium nostrarum, immo venarum, articularum & cordis penetralia penetret & pervadat, ut ab omni infectione & contagio nos præservemus 2 *Corinth.* 7. 1. 2. cum *Jacob.* 1. v. ult. *Juda.* v. 23. ne contagium pestis nos attingat. Porro de praxi resipiscentiæ & novæ obedientiæ excitatione, alibi ex professo agendum. Tantum hic monemus, occasione pestis ad omnia exercitia pietatis publica & privata nos excitandos, specialiter etiam ad sympathiam & caritatem erga fratres, & proximum quemque, imprimis ab aliis destitutum.

Prophylactica publica partim ecclesiastica partim politica sunt.

I. Frequens jejuniorum celebratio, *Joël.* 2. 12.

II. Remotio scandalorum, repressio peccatorum (e. gr. luxus in conviviis, vestibus, ædium ornatu, vacuæ observationis & pompæ in funeribus; chorearum & comœdiarum; oppressiois & violentiæ;) instaurationio omnium, quæcunque in moribus, disciplinâ, utroque regimine, ac jurisdictione collapsa sunt *Jesa.* 58. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. cum 1 *Cor.* 11. 30. 31. 32.

III. Debita cura & consolatio peste laborantium: ne ira nobis & sanis rigida legum quarundam observatione consulamus, ut crudeles simus in animas & corpora eorum, qui ipsi aut quorum ædes peste infectæ sunt. *Jesa.* 58. 7. 8. 9. 10. 11. 12. cum *Psal.* 41. 1. 2 3. *Jacob.* 2. 13. 14. Hoc autem fit, cum à concionibus & publicis exercitiis pietatis, omnique consortio hominum in foro, in compitis, in communi vitâ & conversatione excluduntur homines sani, qui alicui peste laboranti adfuerint, aut ædes infectas datâ occasione ex necessario pietatis aut amicitiae officio frequentant: præterea cum sani omnes una cum ægris istius familiæ, domibus undique arctissimè occlusis includuntur, & quidem sæpe integro trimestri aut semestri aut amplius: ut scil. ibi absque ullo alloquio, ullâ deambulationis per liberum & minus infectum aërem refectione, ullâ migratione ad ædes, aut plateas, aut loca

minus infecta, absque etiam ullâ recentis aëris in domos suas receptione & perspiratione; contagioso, putrido, foetido, & morbo suo aëre, solitudine, ægritudine melancholicâ conficiantur: denique cum sani homines vel ex altero orbe (ubi forte aliqui peste laborant) advekti, magno suo & rerum suarum incommodo, à civitatibus & Provinciis longo tempore arcentur. An hæc sint opera pietatis & misericordiæ Christianæ in ægrotos, moribundos, peregrinos? Dicent excipi hunc casum pestis. Sed repono illud Bernardi, cum ex *Rom.* 13. 1. probat omnes Clericos, Magistratui subjectos: *Qui studet, inquit, excipere, studet decipere.* Ubi scriptura non excepit, nobis non est excipiendum.

C A P. IV.

R Estant nunc, *Remedia* adversus pestem quæ nos aut domesticos nostros jam invasit, tribus verbis indicemus. Sunt autem ea partim communia, partim specialia. Illa sunt quæ in omnibus hujus vitæ calamitatibus, nominatim in morbis lætalibus aut periculosis, adhibentur.

Quorum 1. est expurgatio & resignatio propriæ nostræ voluntatis, & nostri abnegatio, ut in Dei paterna voluntate toti conquiescamus 1 *Samuel.* 2. 2 *Samuel.* 16. *Psal.* 39. *Job.* 1. Conferendi authores Practici qui de *patientia & consolatione*, de *Abnegatione sui ipsius*, aut ad *Matth.* 17. *Marc.* 8. *Luc.* 14. & in tertiam petitionem orationis dominicæ & loca modo cit. commentantur.

11. Admiratio & celebratio clementiæ Dei nostri, qui perditas, aut evagantes oves, suavi hâc violentiâ ad se trahit, humeris suis imponit, & restituit in viam vitæ quamvis angustam. *Majus est quod meremur, minus est quod patimur.* Peccata nostra poenas merentur, & ecce parcentem manum Dei, ecce viscera misericordiæ, funes caritatis ejus, medicamentum salutare, bonum illud castigationis, amaritudinem dulcissimam, amabilem, profundissimam misericordiæ abyssum, viam ad cælum, cælum ipsum in terrâ.

111. Fides, apprehensio, & gustus bonitatis & gratiæ Dei in Christo, siquidem unquam gustavimus quam suavis sit dominus in remittendis peccatis nostris, *Psal.* 103. 1. 2. 3. 4. in imputandis & donandis meritis Christi 2 *Cor.* 5. in adoptandis nobis in filios, idque obsignando sigillo sui spiritus *Rom.* 8. Modo Deus nobis gratiofus sit hâc gratiâ speciali electorum *Psal.* 106. sufficit nobis hæc gratia. In omnibus plus quam victores erimus: nihil est, quod nos separabit ab ejus dilectione *Rom.* 8.

1v. Spes, desiderium, & pensatio vitæ melioris: siquidem defungamur hoc

hoc certamine. Sin Deus nos ex portis inferorum reducat: tanto major sit gratitudo nostra & tanto magis cœlestis in terris conversatio, quod eleganter in Blesilla *ἡγουμένη* Hieronymus ad Marcellam epist. 19. Quæ omnia huc accersenda ex locis communibus, de Vita eternâ, de morte beata seu arte moriendi, de praxi Christianæ spei. Sunt & alia media communia à toto populo & ecclesiâ adhibenda, quorum compendium est publicum jejunium, ab ipso Deo nobis commonstratum adversus communes calamitates; Joël 2. 12. 15. De modo celebrandi jejunii, alibi.

Remedia Pestis specialia sunt, quæ peculiari insolentiæ, terrori, & miseriæ hujus mali opponuntur: quæ modo indicavimus ab Exercitatore spirituali ex scripturis amplificanda.

I. Mortem præsentem plerisque affert. *Resp.* Mortem non esse tibi mortem sed transitum ad vitam meliorem, jam didicisti.

II. Tam subito & ex improviso homines extinguit. *Resp.* Nulla mors repentina illis qui Christum habent, vitam suam *Coloss.* 3. *Philipp.* 1. 23. Lucerna justorum extinguendo non extinguitur etiam si vadant per vallem mortis, quia illuxit ipsis Christus & lucebit in perpetuâ claritate, etiam tenebras illas illustrans *Eph.* 5. 2 *Cor.* 3. *Psal.* 23. *Joh.* 8. 12. Ad hæc qui maturè assuevit jugo Christi, immo qui vel hodie vocem ejus audit ad salutem, numquam à tenebris aut repentinâ morte præoccupabitur. *Johan.* 11. 25. 26. Denique & hoc in lucro deputat, quod brevius sit tormentum; brevius certamen, quam cum morbi diuturni molestiis; facilior victoria, facilior transitus à vita illa mortali, quæ vera mors, ad immortalitatem & gloriam. Hoc enim desiderium verè piorum *Philipp.* 1. 23. *Rom.* 7. 24. 2 *Cor.* 5. 4. 8.

III. Morbus insolens est. *Resp.* At non insolens Deo suos per hunc morbum hinc evocare. Testatur hoc omnium sæculorum experientia. Nota sunt exempla tot famulorum Dei inter quos Oecolampadius, Kimedoncius, Franciscus Junius, &c. Ad hæc nunquam amatoribus Dei insolens est visitatio aut aliena manus tam benigni patris. Deus aliquando suis tanquam larvatus apparet: sed larvam illam fides detrahit & per omnia opaca & integumenta in ipsum sanctuarium, in cor patris sui intuetur.

IV. Terribilis est hic morbus supra alios tum in se tum vel imprimis, quod omnes amici & necessarii sæpe deserant laborem. *Resp.* 1. Idem & Christo accidit *Psal.* 22. 12. cum *Matth.* 26. 40. cœpisti conformari capiti tuo, in hoc curriculo perge. 2. Quicumque te deserunt, Deus tamen non deserit *Jesa.* 42. 15. *Psal.* 27. 9. 10. cum *Jesa.* 54. 6. 7. Ille pastor tuus est. *Psal.* 23. 1. 4. Ille reficit te in lecto infirmitatis *Psal.* 41. 3. 4. Ille dextram supponit capiti tuo & lavâ te amplectitur *Cantic.* 2. 6. Ille tibi

præsto est in necessitate ut te eripiat, &c. *Psal.* 91. 15. Ille ubi adest, ibi robur, consolatio, cibus, potus, medicina, medicus, amicus, necessarius, pastor, dominus, pater, hæreditas, vita, victoria, lux, jubilum, triumphus, denique Deus & omnia. 3. Quidquid in hoc morbo terribile sit, parum hoc est, modo Deus tibi non sit terribilis *Jerem.* 17. 17. modo Christus super te elevet amabile lumen faciei suæ, modo ille te respiciat qui mortis & inferni terror ac pestis. *Hos.* 13. 14. cum *1 Cor.* 15. 55. 56.

v. Denique ut per congeriem & antitheta, quæ restant, edisseram, *Manus Dei* est, quæ non tantum premit sed & subleuat; non tantum vulnerat sed & sanat: *Virga Dei* est, non furoris sed correctionis, non exactoris sed patris *Heb.* 12. 7. 8. *Angelus percussor* est, & nuntius mortis, sed tibi angelus liberationis prodromus salutis. *1 Cor.* 15. 54. 57. cum *2 Timoth.* 4. 7. 8. & *2 Cor.* 5. 1. 2. *Ventus est* & tempestas à facie Dei; sed in ea est Deus tuus, similis est vento illi & procellæ *1 Reg.* 19. 21. 13. *Job.* 38. 1. *Sagittæ* sunt omnipotentis, sed emissæ à leni ac dulci manu, quomodo Nazianzenus afflictiones suas vocat: *ὁν γλυκὴς πικρὰ μὲν πικρὰ δὲ ἐς ἐς*, *amaras sagittas ex dulci manu. Venenum est*, sed veneni & corruptionis peccati; non deleterium sed alexipharmacum, sed theriacale quod ex veneno à summo animarum Medico præparatum à veneno liberat, contra venena præservat. Ita Venenum veneno pellitur, morbus morbo tollitur, pestis peste, putredo putredine, fætor fætor fugatur. Benedicta sit *πολυποίκιλος* Dei nostri sapientia. *Ignis* est, sed consumens hostes, purgans amicos, illuminans domesticos. In hoc igni nobis Deus est, non consumens rubum, (*Exod.* 3.) apparens ad nostri liberationem. Ignis ardens est, inquires, qui vitales spiritus depalcit atque exhaurit. Atqui ardet nihilominus in illo & emicat flamma ignei ipsius erga nos amoris: quæ dum incenditur caro, ac deficit cor nostrum (*Psal.* 73. 26.) lucet ut lucerna in perfectum diem, cœlesti calore urit & exurit frigida ac terrena hæc membra, excoquit scorias filiorum Dei, ut tanquam aurum purgatissimum in thesaurum domini reponantur. Breviter extremum quod hic ignis minatur aut aufert, nihil aliud est, quam ut sit tibi currus igneus Eliæ, quo in cœlum evectus gaudeas & regnes perpetuo cum Christo. Hæc sit summa summarum: *Pestis* illa tam infanda, tam abominanda, tam horrenda, tam calamitosa, tam noxia peccatoribus, & *viris de hoc sæculo* (ut appellantur *Psal.* 17. v. 14.) quæ nihil aliud quam pestilens, pura puta pestis, infernalis incendii præambulum; filiis Dei simul & pestis est peccatorum idque per gratiam Dei ac per pestem mortis Christi (*Hos.* 13. cum *1 Cor.* 15.) & alexipharmacum, sanitas, vita, transitus ad vitam, in cuius, ut & mortis amplexus ruere, non metuunt, quandocunque Deo visum fuerit ipsos vocare & ducere.

CAP. V.

DEtegenda nunc sunt & profliganda infelicia & noxia illa antidota ab Ethnicis, Pontificiis, aliisque adhiberi solita. Sunt autem illa vel Magica, vel Idololatrica, vel superstitiosa, vel nimis carnalia.

Magica sunt varia. Infanda fuit illa dæmonolatria Romæ publicè exercita anno 1522. sub oculis Hadriani VI. à Græculo quodam nomine Demetrio, qui pestem tum exortam sedavit *prospera litatione* (sic loquitur *Jovius*) immolati tauri ad amphitheatrum, quem dimidio cornu dissecto ita repente tam mansuetum reddiderat magico carmine dextram in aurem prolato, ut injecto tenui filo ad integrum cornu, quo vellet, duceret. Vide historiam (ante hac à nobis cit. *Desper. Causa Papat. lib. 1. sect. 4.*) apud *Jovium histor. lib. 21. p. 19.* Ubi quidem Ethnico-Papalis ille Episcopus acriter perstringit nostratem Hadrianum VI. quod Romanæ aulæ rudis, & rerum Italicarum imperitus severis legibus more Italico luem illam coercere noluisse: nihil tamen illi imponit, quod Ethnicam istam dæmonolatriam non coercuisset. Eiusdem Fariæ fuit evocatio Æsulapii sub forma serpentis Epidaurii (de quo *Livius lib. 11. Valer. Maxim. lib. 1. c. 8. & Plutarchus in Coriolano*) cum Romæ ingens exorta esset pestilentia. Neque enim dubium, quin Diabolus & Magia huic negotio præfuerint. Nec prætereunda est Magia illa, quâ cadavera veneficorum (qui etiam defuncti & sepulti pestem iuducere putantur) capite truncanda esse statuitur; cujus exemplum adfert ex *Herculis Saxonia lib. de Plicâ c. 11. Sennertus lib. 4. c. 4. p. 7. 29.* Quod doctiss. Philosophum & Medicum Sennertum tam patienter mirari, miror equidem: *Cujus rei, inquit, causam cum reperire facile non sit, est animi veritatis avidi eam diligenter perpendere, &c.* Magica etiam sunt omnia amuleta characterum, quorum unum infra indicamus.

Remedia *Idololatrica & superstitiosa* sunt, lætisternium, ludi scenici, quæ usurpata fuisse Vito Sulpitio & Petreio Licinio Coss. adhæc peregrinos Deos in urbem advectos anno V. C. 462. sacras ædes vel aras alicui numini devotas, sacra facta, &c. testis est *Livius lib. 1. Decad. 5. lib. 7. & 11. & 57.* Similem & pejorem idolomaniam insaniunt Athenienses dicantes aram Ignoto Deo, & Lacedemonii cum consultum oraculum respondit quotannis virginem immolandam. Vide *Plutarchi parall. 35.* ubi idem refert de Phaleriis, & Suidam in voce *Περὶ Πύργου*. Atque hæc Gentilium.

Judei nomina exotica & admirabilia, quæ angelorum pesti præposito-
rum nomenclaturas continent, cubiculis, hypocaustis & domibus suis ad-
scribunt: inter ea est nomen *diridon*, quod per totum alphabetum ductum,
(ut

(ut *Adiridon*, *Bediridon*, &c.) & magnis characteribus scriptum, præsentissimum remedium esse dictitant. Vide *Buxtorf. Synagog. c. 33.* Huc refer supersticiosam oblationem Thalmudicam quam in *Bava Kama fol. 60.* præscribunt: Ne homo tempore pestis ambulet in medio viæ; quod angelus mortis, cui potestas data sit, publicè incedat in medio viarum.

In *Papatu* ista præscribuntur (apud *Marchinum in prolegom. §§§§.*) præter dolorem de peccatis, & reconciliationem cum Deo (quæ & nos rectè accepta agnoscimus) Supplicationes, quas vocant, seu processiones, confessiones auriculares, corporis dominici (hoc est idoli missatici) publica privataque veneratio, (de missis pro vitanda mortalitate vel tempore pestilentia vide *Missale Reform. in append. fol. 69. de Missis pro peste animalium vide antiquum Missale edit. Paris. 1506. fol. 213. posteriores has exserte defendit Jesuita Bayllius in Catech. part. 1. qu. 20.*) Divorum invocatio, B. Virg. Mariæ imploratio, & refugium ad ipsius templa & imagines, inprimis recitatio Hymni illius ad Mariam, qui cœlitus eum in finem demissus fuit & traditus monialibus S. Claræ Conimbricensibus, siquidem verum dicat *Francisc. Gonzaga in chronologia ordinis Seraphici part. 8. p. 310.* Et hæc hætenus *Marchinus*: Cujus supersticiosas nugas longè superavit *Jesuita Guilielmus de Pretere in Remediis contra Pestem* vernacula linguâ editis Antwerpæ 1636. ubi post indicatas causas & signa pestis, in primâ acie antidotorum spiritualium collocat undecim pestis patronos supremos, medicos & Marechallos (quem terminum artis vulgò in hac materiâ usitatum ibidem etymologicè explicat ex *Goropio Becano.*)

1. *Sebastianum*, quem in hoc casu invocare & colere solent in Lusitaniâ. Addimus nos ex *Lorino commentar. in Sapientia cap. 18. v. 19.* sanctum illum passim propulsatorem pestis habitum, ex quo tempore citatâ ejus imagine horrenda lues (quam describit *Diaconus lib. 6. de gestu Longobard. c. 2.*) Romæ cessavit; quod accidit anno 680. Cujus rei monumentum exstare dicit in Basilicâ Petri ad vincula, ubi etiamnum imago Sebastiani colatur. Vide explicatius hanc historiam apud *Baronium in notis ad Martyrol. 20. Januarii. Marchinum part. 10. probl. 8.* fatetur nulla in gestis Sebastiani exstare vestigia, cur in propulsatorem pestis electus sit: causam ergo nullam posse excogitari, nisi hieroglyphicam seu cabalisticam illam, quod sagittis sit confossus, & pestis apud Græcos Apollinis, & in scripturâ Dei sagitta dicatur.

2. *Hadrianum*, in Flandriâ.

3. *Christophorum* in Hispaniâ, & Belgio, de quo apponit hoc distichum,

*Christophori sancti speciem quicumque tuetur,
Ista nempe die non morte mala morietur.*

4. *Antonium*, in toto Belgio.

5. *Rochum* in Italiâ, ad quem cœlitus demissum hoc epistolium : *Peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam evasuros significo.* Confer *de Rocho* 3. part. sel. diss. tit. de sanctis chimericis.

6. *Bennonem* Hildersheimensem in Bavaria. Quos sex imprimis Antwerpensibus nunc commendari & colendos proponi dicit, quippe quorum reliquæ in templo Jesuitarum ibidem asservuntur.

7. *Macarium* Armenium Patriarcham Antiochenum, à Gandavenſibus. Horum septem vitam & miracula tempore pestis exhibita breviter & encomiasticè perstringit. Unum ex illis anno 1616. Montibus Hannoniæ designatum, cum corpus S. Macarii Cameraco eò mitteretur, celebrat Corn. à Lapide in epist. dedicat. ad commentar. in Pentateuchum : ubi vide.

8. *Remigium* in Gallia.

9. *Oswaldum* in Anglia.

10. *Laurentium* in Burgundia.

11. *Fregidandum* in Brabantia.

Omnibus autem illis Mareſchallis tanquam *reginam & supremam Medicam* præſcit B. Mariam (exempla aliquot liberationis per illam præſtitæ mediante effigie, quæ Aquis Lupiis in Hispaniâ etiamnum tanquam altera Diana Ephesina colitur, refert Nonius in Hispaniâ suâ cap. 61.) modumque hos sanctos colendi præſcribit, per formulam præcationis ad Mariam in Monasteriis & Bernardinis usurpatam; deinde per Antiphonam cœlitus demissam, quam supra indicavimus à Marchino exhiberi; tum per formulas precum ad quemque ex septem prioribus Mareſchallis; postremo per quinque Psalmos Mariæ ex Psalterio Bonaventuræ, (quos vernacula lingua ibidem exhibet) affirmans ex Caroli Stengeli, Benedictini Alexeterio spirituali Dilingæ edito, Romæ anno 1470. per recitationem illorum Psalmorum in conventu Augustinianorum *ad Mariam de populo pestem plane cessasse.* Interjungit præcationem unam atque alteram ad Deum & ad nomen Jesu; commendat & spiritualia hæc prophylactica; nomen *Jesu*, *Mariæ*, *Anne*, aut ore prolatum, aut domibus inscriptum, aut in pectore gestatum; Agnos Dei; nomina aut imagines Mareſchallorum pestis, domibus & cubiculis inscriptas; gestationes capsularum cum reliquiis; Signum crucis; candelas benedictas; cum poenitentia, jejuniis, peregrinationibus p. 143. 169. Atque hæc quidem summa istius libelli, qui constat paginis 185. cui hoc epiphonema, Espensæo Theologo Sorbonico alibi usitatum, adscribimus:

----- *Habeat nunc Roma pudorem.*

Refutationem non est quod hic moliamur, quia illa detegere est refutare: & aliquando, cum Deo, seorsim agemus, de reliquiis, de Agnis Dei, de Cruce. Interim lector, cui vacat, conferre poterit *Disp. nostras de Benedictionibus, de Exorcismis, de Agnis Dei, de Cruce, de Peregrinationibus, de Rosariis, de Superstitione, de Magiâ.* Dictos illos sanctos nostri satis lustrarunt; inter quos chimæricus ille Christophorus, & Rochus, qui nunquam canonizatus Romæ non colitur, quamvis ringente frustra Pontifice colant eum Veneti tanquam sanctum. De hoc alibi agimus: ubi de sanctis chimæricis. Est & alius libellus vernaculo idiomate Antwerpia: 1645. editus, tit. *Het leeven van den H. Rochus, S. Joseps, ende den H. Hubertus Patroonen tegen de Peste.* Ad supersticiosa & idololatrica refer candelas ardentes, quas manibus suis per quinque dies portabant, quicunque missas pro vitandâ mortalitate audiebant, juxta constitutionem Clementis VI. de quo Missale antiquum edit. Paris. 1506. p. 222. Adde festum purificationis Mariæ (Græcis dictum *hypapante*) Constantinopoli institutum anno 544. ut refert *Baronius ibid. n. 10.* Adhæc flagellationes spontaneas occasione Pestis susceptas anno 1349. Nec prætereundi exorcismi quos Pesti opposuit *Borromeus Archiepisc. Mediolanensis* anno 1630.; refert eos & laudat *Marchinus in append. philosophic. problem. p. 47.* Agmen claudat remedium illud Magico-Papisticum characterum scriptorum vel annulo insculptorum, quod quamvis publicè approbatum & à Clericis in Italiâ anno 1630. usurpatum, magiæ & quidem merito convincit *Marchinus ibid. probl. 33.* De invocatione septem angelorum coram Deo assistentium (de quibus in *Disp. de Hierarchyâ cœlesti*), & adjuratione per nomina eorum, an & quomodo hic adhiberi soleant, alibi forte disquirendum.

Carnalia remedia vocamus ad quæ homines ex carnali affectu metus absque prudentia, pietate, caritate consternati confugere solent; ad quæ referimus tum nimis *meticulosam & iniquam illam* contagium evitandi rationem alicubi publicè præscriptam quam supra tetigimus, & taxat *Lavaterus*, alique Theologi & Medici; tum nimis turpem & tumultuariam pestifugarum fugam, quam improbant non tantum Theologi, sed & præstantiores Medici, de qua ex professo nunc disputandum.

C A P. VI.

ESt ergo controversia principalis, *An & quomodo pestis, hoc est, civitates, domus, homines peste infecti sint sugiendi.* Hic 1. detegemus ac removebimus calumnias ac tergiversationes, quibus controversiæ status involvi solet.

let. 2. Genuinum controversiæ statum constituemus. 3. Rationibus sententiam nostram firmabimus. 4. Confectarium principale, deinde & alia inde eliciemus. 5. Objectionibus occurremus.

Quod ad primum, non est hic controversiæ status, nec ab adversariis disputandum. *An Pestis sit mala? An sit morbus periculosus; An plerisque præsentissimum adferat exitum; An periculum sit fugiendum, an vero absque necessitate adeundum, non absque Dei tentatione; An sit aliquod contagium in rerum natura, & an morbi sint contagiosi & inter eos Pestis?* Certè cum circa ista nonnulli Pestifugæ ampullantur, ut turpitudinem causæ suæ tegant & conscientiam sopiant: Quis non videt eos strenuè per elenchi ignorationem sophisticari & prævaricari? Hic autem est genuinus controversiæ status, *An ab omnibus prophylacticum illud fugæ juxta Medicorum symbolum (quod parum Christianum appellat Lavaterus, ejusque Interpres latinus Job. Pontiffella) cito, longè, tardè, simpliciter sit adhibendum, quippe quo nullum auxilium præsentius certiusque.* Hoc ipsum à Medicis quibusdam extra Dei, conscientiæ Christianæ, moralium virtutum respectum ita simpliciter affirmatum, nos cum omnibus, ut opinor, Theologis & Christianis Medicis negamus; insuper addimus teneri omnes fideles primo suis domesticis, deinde & aliis fratribus, amicis, necessariis, & cuicunque proximo pro ratione vocationis suæ, pro viribus, & pro re natâ operam suam fideliter impendere in spiritualibus & corporalibus.

Priorem assertionis nostræ partem ita probamus. *Primo*, Quia nulli ejusmodi humani actus, ut fuga, possunt aut debent à Medico quàm Medico absolute præscribi: sed ponderandæ sunt circumstantiæ actionum, & inde concludendum, an licitæ sint an verò illicitæ. Nam quia subjacent rectæ rationi & legi divinæ, nullæque humanæ actiones in individuo sint puræ naturales & adia-phoræ, hinc fit ut naturæ ductum instar pecudum averfantium mala & prosequantium bona, homines hic non possint sequi. Jam vero quidnam hic sit moraliter bonum aut malum; virtus aut vitium, non est à Medicis quàm Medicis petendum (illi enim connexionem & consequentiam naturalium causarum cum effectibus suis simpliciter & nudè indicant) sed aliunde. Indicat Medicus ex. gr. est alicubi tale secretum & rarum antidotum, est cibus quis, est potus qui ad hoc vel illud conducat: Sed hoc ipsi non dat licentiam conquirendi illa, sive volente sive nolente domino. Sic consultus in quibusdam morbis, diceret concubitum (*Ambros. epist. 66. Septalius problem. sect. 4. quest. 17.*) aut etiam largum haustum potus inebriantis, malum aliquod posse tollere: eo ipso tamen Christianus non concludet illicitum concubitum, aut ebrietatem illo in casu non esse peccata.

Secundo, quia talis fuga non est sine incredulitate & dissidentiâ,

contra Dei promissiones *Jes. 65. Matth. 10. imprimis Psal. 91. fidelibus factas.*

Tertio, Quia non tantum prodest immisericors & inhonesta fuga, quantum sibi profugi quidam Jonæ persuadent. Quamvis enim contagium evitent per contactum & per fomitem quatenus pendet à naturalibus causis; eo ipso tamen non evitant idem contagium & infectionem quatenus pendet ab angelo percussore sive bono sive malo, & quatenus pender à peculiari illo & inexplicabili personarum delectu & applicatione: quod *Ser.* supra in admirandis *Pestis* thesi 1. notavimus. Quin ipse *Sennertus loc. cit.* concedit posse pestem aliquando immediatè à Deo, absque ordinario causarum secundarum concursu immitti; Complures alii Medici statuunt suum contagium *per distans*. Sed velim mihi quis explicet, quid fuga utroque in casu præstitura sit?

Quarto, à paribus. Quia in omni alio periculo, morbis periculosis, immo & contagiosis pietas, caritas & consuetudo non docet homines proximum ita delerere, & fugâ sibi tantum consulere. Sunt autem morbi illi, Hydrophobia, elephantiasis, lepra, *φθίσις*, dysenteria, sudor Anglicus, morbilli, varioli, synochus putrida (quam alicubi in Belgio morbum *castrensem*, aut *Mansveldicum*, ab exercitu comitis Mansveldici anno 1625. indigitant) lues Hispanica, *ὀφθαλμία*, scabies, & mala ulcera, &c.

Quinto, quia crudum tale prophylacticum pestis, nec regulæ nec exempla V. aut N. T. vel per minimam consequentiam suadent. Mirum sane est, Mosem, Aaronem, Josuam, Davidem, aliosque primarios in Republica & Ecclesiâ viros peste apud illos ita grassante solum non vertisse; ut saltem suo exemplo nos docuissent, Deum non tentare scilicet.

Sexto, addimus argumentum ad hominem. Quia ipsi illi fugitivi, qui primo omnia fugienda, evitanda clamitant, etiam cum immisericordiâ erga propria viscera, liberos, cognatos, amicos, ejusdem fidei consortes, &c. cum hic sunt (hoc est cum pestis ipsos aut ædes eorum invasit aut Dei manus ex fugâ illos retraxit) aliter loquuntur, & caritatem in visitando, consolando, opitulando, &c. non tantum non improbant, sed ad cælum extollunt.

Septimo, Denique accedat consensus non tantum Theologorum infanciantorum, sed & Christianorum Medicorum, qui nōrunt se Christianis consilia præbere. Instar omnium sint *Gul. Gratarolus Bergomas*, ad religionem nostram conversus, ejusque zelotes, propter quam & Italiâ relicta Basileę sedem fixerat, libr. de peste p. 88. 4. *Utilissima sunt illa adverbia, citò, longè, tardè. Quod qui facere non queunt, aut Christianâ caritate affecti nōnt, curent imprimis habitare loco perspirabili, &c.* Joh. Anton. Saracenus cap. 6.

p. 1. 5. 6. Sed hac adhibenda cautio, ne praesidium in fuga totum statuatur, quasi salus inde tota penderet. Quid enim est, quod sperent mortales suis se subterfugius irati Dei dignum evadere, conspectumque effugere posse? Immo vero quis hoc ipsum vel cogitare audeat, nisi immensitatis divinae prorsus ignarus, &c. & pluribus de immensitate Dei allatis subnectit locum Psalm. 139. v. 8. 9. Unde concludit: Latebris non est captandus angulus, sed de pace cum aeterno Deo, &c. qui unus ~~arx~~ ^{arx} fuit, est, eritque semper. Attamen nec malè consultum, nec inutile videatur si infirmioris naturae homines, quique metu propemodum sunt examinis (N. B.) cum gratiarum actione salutis illud perfugium atque praesidium, si quando Deus largitur, arripiant, &c. Sed in cavendo periculo iis rursum hac adhibenda cautio, ne dum sibi ipsis consulunt, eos quibus adesse, quosque charos habere tuerique debeant, desertos esse patiantur, veluti obliti vocationis, qua pulici quidem muneris ratione Magistratum, Pastores Ecclesiae, stipendia publici merentes Medicos & Chirurgo, & quotquot alii agris opem ferre ex officio tenentur; propinquitatis vero ratione conjuges, cognatos, & affines merito retinere videtur, &c.

Problem. 1. An peregrinantibus aut ad tempus alicubi commorantibus, qui nulla vocationis suae aut quacunque alia necessitudine illi loco magis quam alteri, saepe etiam minus sunt astricti, liceat inde discedere? Resp. Aff. sed absque attornita dissidentia, & tumultuaria fuga, etiam absque scandalo; & si extrema necessitas (aliis deficientibus) non cogat illos subire officium Samaritani Luc. 10. cum Jesa. 58. 7.

Probl. 11. An liceat infantes, pueros & similem imbellem turbam, qui nulli istic usui sunt, sed oneri, aliò ad tempus ablegare? Resp. Aff. Ut & in aliis morbis, periculis, & impendentibus aut circumstantibus calamitatibus.

Problem. 111. An patresfamilias, qui alicubi sedes suas fixerunt, labore manuum honeste familiam ibi sustentant, privilegiis & commodis tam politicis quam ecclesiasticis fruuntur, liceat ad tempus cum familia sua civitatem illam, concives, & fratres deferere? Resp. Ego saltem nolim alicui author esse: quamvis videam quosdam ex Theologis hoc in genere non improbare; quibus non admodum repugno, nec tamen adstipulor.

Posteriorem assertionis nostrae partem de auxilio aegrotis praestando sic probō.

Primo, ex officiis caritatis quae fratribus & proximis debemus. Matth. 22. diliges proximum sicut te ipsum, cum Matth. 7. 12. Hebr. 13. 1. 13. 16. etiam cum damno & periculo nostro 1 Corinth. 13. v. 5. 7. 1 Johann. 3. 16. 17. Inter officia autem illa, est auxilium aegrotis & moribundis praestandum.

Secundo, ex peculiari vinculo inter conjuges, fratres, cognatos, amicos,

cos, &c. quo illi ad officia illis aliisque in casibus sibi mutuo præstanda constringuntur. 1 *Tim.* 5. 4. 8. *Rom.* 1. 31. *Ephef.* 5. & 6.

Tertio, ex mandato speciali de operibus misericordiæ erga calamitosos & ægrotos præstandis *Psal.* 41. v. 1. 2. 3. *Matth.* 25. 36. 43. Nulla autem hic aut alibi est exceptio de morbis contagiosis, & periculosis. Quo majus periculum, eo arctius fraterna caritas nos constringit, eo illustrius etiam se exferit. 1 *Job.* 3. 16. Cum hoc mandato jungendum est exemplum Jesu Christi, quod ibidem adfert Apostolus.

Quarto ex magnâ mercede, & promissione à Deo ejusmodi misericordibus factâ *Psal.* 41. 1. 2. 3. 4. cum *Matth.* 5. 7. & 25. 36. 43. *Jac.* 2. 13. Inter illas promissiones est etiam protectio Dei adversus terrorem noctis, & sagittas de die volantes; de quâ *Psal.* 91. per totum.

Quinto, suadet etiam fortitudo Christiana militi Christiano fortiter se, datâ occasione, ejusmodi periculis offerre, mortem contemnere, in Dei providentiam recumbere, idque ex sincero Dei & proximi amore *Act.* 20. 24. & 21. 13. 14. *Phil.* 2. 3. De contemptu mortis, & fide in providentiam Dei, supra actum est.

Sexto, accedit consensus & praxis piorum. Ex pluribus sit *Cyprianus de Mortalitate*, & exemplum illust. Christian. ecclesiæ de quâ *Euseb.* l. 9. c. 7. & 7. 17. *Niceph.* l. 6. c. 20. ubi notanda epistola *Dionysii Episc. Alexandrini*; & ejusdem paraphrastica interpretatio *Ruffini*. Imprimis *Lavateri* erudita concio seorsim Germanicè, Latinè, Belgicè edita; quæ etiam inserta est comment. ejus in *Ezech.* 14. ejusdem comment. in 1 *Paral.* 21. *Molleri meditatio* in *Ps.* 91. *Trelcatii Junioris Antidotum* pag. 535. *Ames. Casuum* lib. 5. c. 7. qu. 5. multa habet de proximo diligendo, quæ huic nostro negotio aptari possunt. *Sohnius de Causis & curatione Pestis* tom. 1. *Perkinsius* in 6. *præcept. Decalogi*, *Calvinus* in *Epistolis* pag. 454. edit. in sel. *Beza* in *Diatribæ de peste*, etiam seorsim editâ; *Ursinus Exercit. Theologic.* part. 2. in summâ rei idem nobiscum sentiunt, quamvis hominibus liberis fugam concedant: ne quis, pro infidelitate & impietate suâ (quâ etiam sanguine aut affinitate conjunctissimis se subtrahit) Doctores illos alleget. Pontificios Casuistas & practicos idem sentire, & ad fortitudinem Christianam cohortari, quin & suorum merita hæc in parte & quotidiana trophæa nimium forte jactare, colliges ex libro *Philiberti Marchini de Peste*, & Jesuitæ *Raynaudi de Martyrio per Pestem*, & vernaculo libello Jesuitæ de *Pretere*: Addenda & analogicè huc applicanda, quæcunque Moralistæ & Practici de Misericordiâ, Fortitudine, Caritate proximi commentantur. Nec dissentiunt Christiani Medici, ut supra innuimus; quorum consilia evitacionem peste infectorum suadent; cum hac limitatione, quantum Christiana misericordia seu sympathia permittit, quam

paren-

parenthesin piè & prudenter initio Antidoti anno 1636. editi inseruerunt
Cl. DD. Medici Ultrajectum.

C A P. VII.

Scul. H. 38 Cour. pag. 496-497.

Quæstione principali decisâ, porisma hoc inde deducimus: *Si quidem nulli fideles absolute se possunt subtrahere fratribus laborantibus; utique pastores Ecclesiarum, à subsidio hoc & opere caritatis non sunt immunes.* Quod porisma tenendum contra periculofam disputationem Zanchii in Philipp. 2. quæ consuetudinem Italo-Medicam nimis mihi sapere videtur, ut & contra Josephum Hallum in epist. Decad. 4. epist. 9. qui etiam ad morem seu legem tunc in Angliâ receptam nimis trahit conscientiam ministrorum. Rationes sunt *Prima*, quia rationes supra allatæ pro officio omnium fidelium erga laborantes peste, fortius constringunt Pastores, saltem quod ad spirituales curam. *Secunda*, sumpta ab ipsorum munere, & titulis. Sunt Pastores, patres spirituales, custodes & Episcopi, dispensatores, &c. qui debent paciscere, *verbo*, *exemplo*, *subsidio* (ut rectè Gregor. Magn. in *pastorali*) non tantum publicè sed & privatim & *per se* (Act. 20. 22.) & quidem *ἀναγκαῖος* 2 Tim. 2. imprimis in illo casu necessitatis. *Tertia*, Quia Ecclesia debet non arctè habitare in corde eorum, debentque illi exemplo Pauli cum ovibus velle vivere & mori. 2 Cor. 7. 3. & exemplo Christi animam pro illis ponere Job. 10. v. 11. 12. 15. cum 1 Joh. 3. v. 16. *Quarta*, Quia non tantum ex caritate, ut reliqui Christiani; sed etiam ex justitiâ, non possunt esse immunes, aut plane se subtrahere: idque propter stipendium. *Quinta*, Quia sunt & alii morbi contagiosi & periculosi supra cap. 6. notati: Atqui nemo dicet ministros debere aut saltem posse à visitatione istorum ægrotorum in totum abstinere, nedum fugam capessere: ergo non magis in casu pestis. *Sexta*, Quia omnes constitutiones Ecclesiasticæ, (cum quibus conferendi autores, qui Politiam Ecclesiasticam & officium pastorum describunt) nominatim etiam *Confessio Helvetica art. xvi. 1.* & Constitutiones Ecclesiæ Belgicæ imponunt ipsis consolationem ægrotorum. Nullæ autem sunt constitutiones apud nos, nec etiam Synodorum Decisiones, quæ in casu hujus morbi illis hoc officium interdican. Sed contra decisio Synodi Dordracenæ 1578 ad quæst. particulares, qu. 13. & praxis omnium fere pastorum contrarium docet. Imprimis praxis Ecclesiæ Genevensis, ubi sorte alicui ex ministris illud officium committunt, quam refert Beza in tract. de Peste, liquidissimè evincit Calvinum reliquosque Theologos Genevenses sensisse, pertinere hoc ad munus pastorale. Perpetuam praxim eorundem innuunt etiam verba Franc. Porti Cretensis in Resp. ad Epistolam Petri Carpenterarii

*Amel. lib. 5. c. 7. p. 295. Non licet pastor tempore pestis deserere
Eidem, nisi forsitan alius edoneus, qui suscipiat illam curam.*

DE PESTE SEU PESTIS, &c.

*A. Medij
p. 492.*

312

pentarii quondam ibidem Professoris juris, tunc apostatae & proditoris. p. 5. Cognovi te, quum ex collegio ne unus quidem propter pestem à suo munere discederet, pessimo exemplo quocunque, desertâ statione, libebat, excurrise, &c. Sculterus in concionibus in Jes. cap. 38. pag. 496. liquidissimè non tantum de ministris, sed & de aliis in casu necessitatis determinat. Eodem fere modo Georgius Sobnius in *Thesibus* p. 195. Convenit cum iis Georgius Abotus qu. seu lect. 5. p. 195. edit. Oxoniens. anno 1598. nisi quod magis constringat, ob necessitatem, uti arbitror, consuetudinis Anglicanæ.

Lutherani Theologi à nobis hic non dissentiunt *Johannes Gerard. loc. com. tom. vi. Tarnovius lib. 3. de Minister. c. 2. Balduinus de Casibus lib. 4. cap. 9. cas. 6. & exsertè Wigandus tract. de Persecutione p. 270. Et ex recentissimis Melchior Sylvester Eckhardus in pastore conscientioso classe 2. sect. 5. qu. 3. Instar omnium sit masculum consilium ex Lutheri tom. 3. Jenensi apud Philippum Haenen in consiliis sive judiciis Theologicis & requisitis ministerii, Germanicè anno 1650. editis tract. 7. p. 45.*

Pontificii hoc omnibus animarum curatoribus imponunt, post omnes *Marchinus part. 1. cap. 2. 3. cum part. 3. cap. 1. 2. hanc causam agit, adductis rationibus ab officio pastoralis Job. 10. Ezech. 24. à lege caritatis & justitiæ (Thom. 22. qu. 26. art. 5. & qu. 185. art. 5. quodlib. 12. qu. 18. art. 3.) coacervat & infinitas auctoritates ex Canonistis, Casuistis, &c. adhuc exempla Caroli Borromæi Episcopi Mediolan. anno 1576. aliorumque regularium, quorum ordines & nomina indicat part. 10. Præterea inserit celebrem epistolam 180. Augustini ad Honoratum, de fugâ pastorum tempore bellicæ calamitatis. Busæus in *Viridario* cap. de Fortitudine laudat præter Borromæi, exemplum Bernardini Senensis & novi ordinis Romæ instituti ad ministerium egrotorum. Jesuita Raynaudus in tract. de Martyrio per pestem part. 3. c. 3. commendat presbyteros & Diaconos Alexandrinos, quorum meminit Martyrol. Romanum prid. Kal. Martias. Præterea Cyprianum, Gregor. M. Benedictum, Aspertum, Bernardinum, Jesuitas (uos anno 1558. &c. Hoc quidem Molanus, in *Theolog. pract. & ipte Marchinus cum pluribus aliis Caluistis concedit posse Episcopum, aut parochum per substitutum aliquando mediâtè oves suas curare. Sed hoc nihil ad nostros, ubi non sunt otiosi Episcopi & beneficiati cum potestate substituendi, nec locum habent dispensationes de non Residentiâ. Gabriel Biel in sermonibus de Tempore, tribus sermonibus medicinalibus contra pestilentiam subjungit quæstionem de fugâ pestis: ubi quidem multa. Eruditè profert, & satis in hanc partem determinare videtur; nisi quod, more Caluistarum Papalium, exceptione aut restrictione bene dicta rursus labefactat.**

Consect. 1. *Licetum esse & valde laudabile etiam cum certo mortis periculo*
in ser.

in *servire amicis peste laborantibus*, rectè probat *Marchinus* ex rationibus, & authoritatibus *Cypriani de Mortalit.* *Augustini de amicit.* c. 10. *Hieronym.* in *Mich.* 7. *Lactant.* lib. 5. c. 18. *Ambros.* lib. 3. de offic. c. 12. 11. Idem tamen nimis mihi exorbitare videtur, cum peste afflictos, vel de eodem valde suspectos, concludit esse tanquam multorum homicidas & patriæ proditores puniendos, si sanos non moneant & cum iis libere versentur, *part. 2. c. 6.* 111. Siquidem pastores ecclesiarum non possunt se subtrahere visitationibus ægrotorum, multo minus licita ipsis fuga est, aut importuna ministerii desertio.

C A P. VIII.

Apiâ hac sententiâ aliqui & olim & hodie in Papatu recesserunt non tam judicio quam affectu metus, & inde vitiosa praxi; quæ duo perversa principia protulerunt tandem illam opinionem. *Tostatus* in *Genes.* 14. col. 7. admodum videtur favere huic opinioni; cujus decisionem propterea limitat *Marchinus part. 2. c. 6.* *Nicolaus de Clemangis* celebris suo tempore Theologus suadebat fugam absque ullâ limitatione, *vid. epistol. 27.* ubi ex nostris *Johan. Lydius* editor *Clemangis* in margine hanc censuram opportune adscripsit: *Consilium minime Theologicum.* *Marchinus cap. 12.* conqueritur & miratur quosdam viros doctissimos, à piis operibus nonnullos suo consilio & suasionem retraxisse; si secus fecissent terribilis inferni pœnas illis comminantes. Apud reformatos non desunt inter ditiores & potentiores imprimis, ut & ruricolâ simplices, qui quidem in se officium hoc non implerent; sed qui ita insaniant ut homines ab heroicis illis operibus propositâ pœnâ infernali absterreat, arbitror esse neminem. Sed rationes & horum & quorumcunque aliorum audiamus.

Obiect. 1. Nemo debet se in illud periculum conjicere; ergo. *Resp. 1.* non absque necessitate, non temere, conceditur. 2. absolutè ut nemo se conjiciat, non dicent illi qui Medicos, chirurgos, famulos, famulas, pastores, sacerdotes, ægrotorum consolatores in auxilium suum advocant. Quod si contra animæ salutem & mandatum Dei illi servitium illud præstarent, non possent hi bonâ conscientia ab illis hoc petere. 3. hoc argumentum si locum habeat, tunc nemo militiæ se devoteat, nullis civis pro aris & focis arma sumat, nullus incendium restinguat, nullus naufragantibus succurrat, nullus denique martyr vivicomburium adeat. Absit, absit! Applicanda huic igni pestilentiali aurea sententiâ Thomæ Bilney martyris in Angliâ temporibus Marianis: *Per sensum, inquit, & philosophiam scio, ignem esse calidum, & cum dolore urentem: sed per fidem scio eum aliquando stipulam mei corporis consumpturum, & animam meam purgaturum à corruptione.*

Object. 2. Ordo servandus est in caritate, ut præferam corporalem meam salutem, vitæ proximi. Neque enim teneor eum plus diligere; quam me ipsum. *Resp.* cum Marchino, 1. ordinem charitatis exigere ne quis temere & absque urgente ac iustâ amici necessitate vitam exponat. 2. non diligere amicum plus quam nos ipsos, sed plus diligere honestum virtutis. Sicut cum quis pro patriâ vel pro fide servandâ vitam exponit periculo.

Object. 3. Homo non est dominus vitæ suæ, ergo debet fugere omnes peste laborantes. *Resp.* Deus est dominus vitæ; eam Deo libenter impendet, ex iustâ & urgenti causâ ob honestum & laudabilem finem. Haut aliter ac Martyres, aut cives qui mœnia sua contra invasionem hostilem tuentur, aut qui accurrunt ad incendium, &c.

Object. 4. Si in persecutione licet fugere de civitate in civitatem ergo & tempore pestis. *Resp.* non licet semper, nec omnibus: ut alibi casus ille deciditur. Deinde nos omnem quorûmque & quamcunque fugam non improbamus. Saltem ministris verbi in persecutione non fugiendum, nec oves deferendas communiter determinant Theologi. Vide inter alios eruditè ac plenè hoc agentem *Georgium Abotum in sex quæst. seu prælectionibus, quæst. 5.* Sed de hoc in 2. part. polit. eccles. lib. 1.

Object. 5. Domum, quæ incendio vastatur, relinquimus; quidni & domum peste infectam? *Resp.* concedimus, ut & in aliis morbis. Siquidem domus non sit spatiosa, & suppetat alterius copia (quomodo in Italiâ à Præfectis sanitatis tales offerri didici ex *Marchino loc. cit.*) utique commodum hoc non est contemnendum.

Object. 6. Qui peste infectos visitant, sunt aliquo modo rei *εὐτεφονίας*; tantundem enim est ac si in ignem insiliissent. *Resp.* 1. qui debito fine & modo fortiter ad honorem Dei & salutem proximi offerunt se periculo alicui, non sunt rei; non magis quam martyres, cives & milites patriæ defensores, Medici, Chirurgi, alique qui animam aut corpus ægrotantium curant. 2. Deinde diversa est ratio ignis & contagii pestilentis: ignis promiscuè semper urit eos, quos attingit absque ullo personarum delectu, aut actus sui suspensione: pestis vero non itidem, ut docet experientia. In quo propriè consistat *εὐτεφονία*, docemus in disp. de eadem.

Object. 7. Lepra in V.T. præcisè erat fugienda, ergo & pestis in N.T. *Resp.* febricitans hoc argumentum (quod tamen sæpe usurpatur) in scholis Theologicis nullum meretur responsum. Qui cadaver attingebat, qui menstruatam, &c. immunditiem ceremonialem sibi contrahebat. Sed quid hoc ad contagium pestis?

Object. 8. Ab omni officio immediatè ægrotis illis succurrendi absolvor, si modo precibus apud Deum, & consiliis ac donis per alios ipsi non desim.

sim. *Resp.* Si liberi hoc dicant parentibus, mariti uxoribus, fratres fratribus, & vice versa, utique videor mihi audire antiquum illud Phariseorum corban Matth. 15. 5.

9. *Object.* Qui metuit, potest bonâ conscientia fugere; & omnibus illis, etiam maximè necessariis caritatis officiis etiam erga parentes, uxorem, liberos, &c. se subtrahere. *Resp.* 1. vehementia affectuum in homine, non absolvit à peccato, ut non tantum Theologi docent, sed & Aristoteles cum suis philosophis Moralibus. 2. Hoc saltem hinc infertur, fugiendum esse illum inordinatum metum, & ab eo resipiscendum: haut aliter ac ille resipiscere & se emendare tenetur, qui præ metu veritatem fidei non confitetur, aut cœtui orthodoxorum clandestino se non adjungit.

Instantia: Opponitur casus, si quis ita metu occupatus sit, ut nullum officium ægroto sit præstiturus, immo potius eum gravaturus, & sibi ipsi præfens sive exitium sive periculum allaturus; an non debeat potius abstinere & sic in conscientia suâ quietus esse? *Resp.* Positâ illâ hypothese si quis prudentum consilio pro tempore abstineat, ne scilicet peccatum addat peccato: eo ipso tamen non tollitur *iræ*, seu peccatum ipsius, non magis quam ejus qui iræ aut contentionis æstu erga proximum turgens abstinere pro tempore ab usu cœnæ, aut filius inebriatus tantisper abstinens à visitatione curæ & auxilio patris letaliter decumbentis. Quamprimum ergo & strenuè hic defectus corrigendus.

10. *Object.* Plagæ Dei, & mala divinitus inflicta sunt fugienda. *Resp.* Sed ideo non sunt afflictī omnes absolute fugiendi, cum operâ nostrâ indigent. Alioquin pauperes, nudi, famelici, ægroti omnes essent vitandi.

11. *Object.* Parci potest Ecclesiæ pastoribus, quia tantum in ipsorum incolumitate aut jacturâ Ecclesiæ situm est, & per alios facile hoc curari potest. *Resp.* 1. Non disputamus hic, an & quâ ratione & publico Ecclesiæ bono, & ægrotorum necessitati, & sanorum institutioni (imprimis ubi contagii evitatio legibus quibusdam satis arctè circumscribitur) commodissime prospici possit: nec etiam utrum magis præponderet paucorum ægrotantium consolatio à pastore immediate præstanda, an vero totum verbi ministerium, quod alioquin laboraret: Sed hoc tantum nunc agimus, ut doceamus, non esse hoc officium consolandi, ab ordinario munere separandum, quasi ad id jure divino pastores non tenerentur; immo; quasi peccarent in munus suum pastorale, si qui tales ægrotos visitarent. 2. In omnibus Ecclesiis, præsertim vicinis & oppidanis minoribus, non video quomodo illis parci possit, nisi moribundos ibi consolatione omni destitutos velimus. 3. Sic tamen de parsimonia hac non est differendum, ut eorum, qui bene animati sunt, manus remissas reddamus; aliorum, qui mediocri

fortitudine præditi, animos frangamus; denique tot egregiis viris, qui in Belgio passim muneri suo non defuerunt, nec sibi & labori suo pastoralis ita parci voluerunt (quorum non pauci tanquam vigiles & duces in statione suâ stantes mortui sunt) quidquam detrahamus. 4. Per alios hoc ita curandum est, ut non sint tanquam vicarii seu substituti (quos Ecclesię reformatæ non agnoscunt) sed tanquam adiutores, qui partem laboris sublevent; ne tandem partes integrales ministerii ab alienatæ & defractæ, in alios transferantur. 5. Denique quidquid agant isti adjuvantes, non debent pastores in gravioribus conscientię casibus, imprimis si miseri ægroti eorum consilium & solatium desiderent, hac occasione ab illo muneris sui actu plane excludi.

12. *Object.* Audiui aliquando & hanc exceptionem: Non tenetur nec etiam potest unus omnes laborantes visitare; sufficit si domesticis & suis succurrat. *Resp.* Ab illis quidem primo incipit caritas; sed ut præcisè ibi terminetur, Deus non præcipit. In dandis elemosynis, mutuo gratuito, consolandis & juvandis lugentibus, & infirmis omnibus, ad omnes & singulos se non extendit unius facultas. Sed inde per malam consequentiam educitur negativum: Nullo modo tenemur aliquem in illo casu visitare.

C A P. IX.

Respondeamus nunc ad casus & quæstiones quasdam.

Prima est, An Cometa rectè dici possint prænunciare Pestem? Resp. non definitè, sed indefinitè. Prænuntiant enim aliquod Dei flagellum & iudicium: at illud est vel pestis, vel bellum, vel fames, &c. Hoc tamen cavendum ne ante eventum, applicemus prognosticon illud certis hominibus, aut civitatibus. Ex insolito ranarum, murium, & reptilium proventu pestem non aliter præmonstrari, quam certo futura per præensiones Medicas, rusticas, & nauticas, observat *Valesius sacr. philos. c. 30.* Plura præfagia vide annotata à *Cardano de Variet. rerum lib. 15. c. 7. 8.* imprimis à *Marchino probl. 20. & Fracostario lib. 1. de contagione c. 13.* Quam certa verò aut incerta sint præfagia, diximus *Disp. de Omentis & Prodigis*, & in diatribâ de prognosticis Cometarum.

Secunda est, An malis angelis tanquam instrumentis divina ultionis attribui debeat Pestis? Resp. Aff. ex argumentis thesi 1. adductis. Accedit experientia. Si enim *Paulo Diacono histor. lib. 3. c. 5. 6.* fides, peste illâ anno 680. sub Agathone Romam & Ticinum penitus devastante, non pauci Dæmones visi sunt igneos gladios, ac lanceas manibus tenentes, qui quoties alicujus domus ostium ense vel lanceâ percutiebant, tot in eadem familiâ sequenti

quenti die peste exstinguebantur. *Gregor. Nyssenus* in vitâ *Gregor. Thaumaturgi* refert: si spectrum quoddam ad ejus ades, quibus perniciēs (ex peste scilicet) imminēbat, accederet, certum exitium subsequēbatur. *Procopius* lib. 2. de bello Persico affirmat pestem sævientem anno 544. sub *Justiniano*, ortum habuisse à phantasmatis demonum, humana specie visis: quot enim in ipsa inciderant, percussos se ab aliquo viro putabant, morbusque subito irruēbat. *Gregorius Magnus* (quamvis sæpe in narrationibus nimis credulus) lib. 4. dialog. c. 36. narrat homines, super quorum capita flamma sagittæ speciem præ se ferens conspecta esset, nullam sentientes ægritudinem, ipsâ sternutatione prostratos fuisse.

Tertia, An pestis sit naturale quid, an supernaturale. Resp. Utrumque.

Quarta, An ergo miraculum? Resp. Neg.

Quinta, An mitior plaga sit pestis, quam fames, aut hostium oppressio? & cur? Resp. 1. *Aff. pr. ex 2 Samuel. 24.* Et miror negare hoc *Marchinum prolegom.* §§§. 1. cum *Tostato* in 2 *Sam. 24.* qui volunt *Davidem* elegisse non minimum, sed maximum malum, quod illud esset ipsi cum subditis commune. 2. Ratio est, quia furor, vastitas, distractio & perturbatio sensuum, & affectuum non ita dominantur in peste, nec Dei cultusque divini interni & externi ita nos oblivisci, & in tam varia peccata prolabi faciunt; sed contra devotio & actus pietatis tum maximè vigent. Hæc sola ratio, ut alias omittam, magis exoptandam reddit hanc plagam. Videri possunt *comment. Martyris* in 2 *Sam. 24.* & *Lavateri* in 1 *Paralip. 21.* & *Parei Exercit. theol. lib. 2. Exercit. 22.*

Sexta, An qui ex caritate, aliis inservientes, peste obeunt, propriè sint martyres? Resp. Movent hanc quæstionem & pro parte affirmante disputant *Marchin. part. 1. cap. 7.* & *Jesuita Raynaudus tract. satis spisso. de Martyrio per pestem.* Nos dicimus esse merum lusum æquivocationis in voce *Martyrii*; & partem negantem sequimur cum *Biel concl. 9. tract. de Fugâ pestis*, qui existat inter sermones post dominic. 24. Pentecostes; & cum *Espeñcaio lib. 3. digress. c. 19. Gabr. Vasquez 3. part. disp. 153. c. 3.*

Septima, An Medicus possit sugere, & an teneatur visitare peste infectos, si qui operam ipsius desiderent? Resp. Movent hanc quæstionem *Bannes* in 22. qu. 3. art. 3. dub. 4. *Zwarez lib. 3. de legibus c. 30. n. 4. Espeñcaio in 1. ad Timotheum digress. lib. 3. c. 19. Bonacina, Salas, Zanchez, Homobonus, Benzonus, à Marchino citati part. 1. c. 8.* Ubi distinguit inter Medicum conductum absolutè, & inter conductum in omnem eventum. Hunc dicit cogi posse; illum vero minime, nisi imminente necessitate & aucto illi stipendio. Dura autem & satis imperiosa mihi videtur ratio, quam addit, quia ad obviandum communi damno potest legislator legem ferre obligantem aliquos etiam

cum patenti vitæ periculo. Sed longè durissimum, si non atrox, quod subdit: Pharmacopœos & chirurgos si fugam tentent post legislatoris præceptum, posse morte puniri ad aliorum exemplum. Quidquid sit, cum Medicorum sit hoc curare (ut fuscè disputat Gul. Marquis probl. 2.) potius excitandi sunt aliqui, quorum rationes hoc ferant, qui persuasione caritatis adducti exemplo Lævini Lemnii nusquam non intrepide se conferant, conjecta in Deum fiducia, succurrendo plebis & civium studio. De occult. Nat. Mirac. lib. 4. c. 17.

Octava, An contagium per somitem tantum sit, ac quidam volunt & tam scrupulosè vitandum usque ad nummos ex locis infectis mari aut terrâ missos, lapides, metalla, &c. ita ut nummi aliquâ temporis morulâ sint macerandi acri aceto, ut habet praxis Panormitana & Florentina apud Marchin. part. 10. c. 11. p. 257. Et an ex præscripto Ficini in Remed. Epidemic. c. 25. quisque debeat fugere hominum conversationem, ut sit semper à socio remotus in aëre aperto ad minus per spatium bicubiti & ab infecto per sex cubitos: & cavere debeas ne ventus ab eo in te spiraret, & inter te & ipsum sint sol, ignes, odores.

Resp. 1. tantum non esse agnoscunt egregii quidam Medici. Mercurialis de Peste c. 12. simplices sibi videri dicit, qui contagii metu monetas tractare recusant. Idem etiam in Gallis & Genevensibus suis perstringit Joh. Anton. Saracenus cap. 6. p. 26. ubi & hoc addit: Unde mirari subit nostrorum hominum sedulam nimis cautionem, qui si, quibus in adibus familia plures diversantur, per cochlides etiam ex solido lapide scalas vel egrotus peste laborans sit deductus vel extinctum peste cadaver exportatum, per easdem egredi regredive periculi plenum existimant, &c. 2. Et quid si per remotam consequentiam & suspicionem scrupulosi alicubi putent contagii aliquid posse adhærescere, illis ego suggererem illud quod Bernardus serm. 31. in Cantic. tam scrupulosi diætæ medicæ & ciborum observatoribus, morum neglectoribus, ut loquitur, Puta, inquit, te quæso monachum (substituto Christianum) esse non medicum: nec de complexione iudicandum sed de professione. Parce obsecro primum quidem quieti tuæ: parce deinde labori ministrantium: parce gravamini domus: parce conscientiæ; conscientia dico non tuâ sed alterius, &c. Verum illud dictum est: τὸ διὰ τὴν ἀρετὴν ψεύδεις. Quod in scientiis Theoreticis, in civili hominum praxi, in diætâ medicâ, & ubique observandum; solâ excepta lege Dei & rebus conscientiæ, in quibus obtinet illud Ephes. 5. 15. ἀνεπίτηδες καὶ ἀνυπόκριτες, &c. Contagii fuga attemperanda est vocationi tuæ & caritati proximi. 3. Alioquin si ita omnia tuta times, si sub quovis lapide scorpionem invenis, si ad folii cujuscunque strepitum exhorrescis, jam Dux Exercitum, miles stationem suam, Magistratus & judices curiam, parentes familiam, ministri Ecclesiam deferant & eam (quod alicubi sit) vicario aut Anagnostæ committant. Hoc demum erit ex lege naturalis contagii, sibi (hoc est,

est, pretiosioribus animabus) parcere, & viliores periculo exponere. Bre-
viter erit ex mundo, saltem ex orbe tuo exeundum. Nam aër ibi (ut do-
cent Medici, Saracenus loc. cit.) aut secundum substantiam corruptus est,
aut putridus; & is in se continet semina pestiferi contagii. Si quis excipiat,
se tam longè scrupulosam hanc fugam non extendere: Regero eadem conse-
quentiâ, & eâdem conscientiâ teneri te (etiam cum interversione vocatio-
nis & pietatis tuæ) & hic & illic vitæ tuæ parcere, sanitati consulere; aut
utrobique illam moderationem adhibere, quam nos requirimus: ut natu-
ra & medicorum methodus non sit norma conscientiæ, specialis vocatio-
nis tuæ, pietatis erga parentes, ~~propter~~ erga liberos; sed contra. Pariter fere
judicandum de duratione contagii in fomite, veste scil. linea, laneâ, sericâ;
quam si estimemus ex analogiâ veneni, quod 12. imo & 50. annis in hu-
mano corpore latere potest (uti *Mercurialis cap. 14. de Pestilentia* & ex illo
Marchin. probl. 28. observat.) utique non video, quando tandem sine scrupu-
lo vestes ejusmodi contrectari possint. Confer infra problema nostrum
14. Essent ergo omnia illa igni comburenda. Et quis tandem finis scrupu-
lorum, & anxiarum observationum? Rursum ergo inculco vulgatum illud:
Ne quid nimis.

C A P. X.

Nona, Contagium per distans an necesse sit ponere? Resp. Sennertus lib. 4.
c. 2. p. 688. improbat distinctionem ejus à contagio per fomitem:
quod vocat mediatum, & subdividi vult in illud quod interveniente solo
aëre, & aliud quod per vestes, aliaque corpora propagatur. Hęc in genere
quidem dici possunt. Sed cujus avis indicio sciunt, pestem in hac regione,
aut civitate contagio ad distans ex aliâ regione & civitate necessario per
aërem eo delatam; & non immediatâ Dei manu aut ministerio angelorum
(quæ Sennertus alique Medici non negant, inter quos *Palmarius, de morbis
contagios. de Peste lib. 1. c. 6.* nonnunquam absque causis physicis immitti
asserit) huic civitati aut regioni æquè immisam, ac civitati & regioni cui
primæ omnium in toto orbe inflicta fuit, quomodo de aliis morbis, siccita-
tibus, inundationibus, incendiis judicamus. 2. Siquidem tam spiritualis est
disseminatio & penetratio contagii ad distans, ut Sennertus loc. cit. & *Foli-
nus c. 8.* adeo ut etiam ex communicatione aëris, ventorum, &c. cum re-
motissimis regionibus peste infectis, & ex aspectu solo ædium aut homi-
num infectorum (exempla habet *Nicephor. Eccles. Histor. lib. 17. c. 18.* &
Guido tr. 2. doctr. 2. c. 5. quam *Junctinns lib. de Peste c. 1.* vocat Pestem ba-
biliticam) pestem quis contrahat: dicant ergo mihi an putent tumultuariam
illam

illam fugam per cito, longè, tardè, &c. *Ficini* bicubitalem distantiam & pertinacem, sæpe crudelem, fugam à plateis, domibus & hominibus infectis sufficere? Quo fugiam, ut fugiam aërem, in quo circumfuso pendet tellus? præsertim si tam corruptus sit, ac refert *Cardanus de Variet. lib. 8. c. 45.* supra cit. Aut qui saltem erunt termini fugæ, ut certus sim ad illum aërem meum in quo quiesco, astrale illud contagium spiritali modo non serpere? *Philippus Ingrassias* de Peste Panormitanâ (apud *Marchinum probl. 29.*) ait distantiam quinquaginta passuum constituere terminum non suspectum. Sed quid tum fiet, ne aër etiam remotissimus ab agro ad sanum flante vento deferatur? siquidem tunc maximè cavendum esse cum venti ex regione illâ ubi pestis grassatur, ad nos perflant; monet *Fracastorius lib. 1. de contagione c. 13.* & ex Æthiopiâ olim Athenas, ex Babyloniâ in Italiam vento delatam affirmat *Fabius Paulinus comment. in Thucydem lib. 1.* cum autoribus ibid. citatis. Idem de Peste ex Slavoniâ Venetias delatâ a. 1436. confirmat *Herculanus ad 4. Avicennæ.* Erit ergo à publico omnino abstinendum etiam cum ex civitate infectâ profugimus, nec sufficiet illud: cito longè tardè: nam semper metuendum & cavendum, ne pestis ex civitate, quam reliquimus, aut ex remotiori aliquo terræ angulo nos afflet. Immo ne domi quidem occultari suffecerit, siquidem ventus facile aërem aliquem infectum, aut *Empoia* & subtilissimos halitus in eam propellere posset; imo ipsa aëria atoma contagii vehicula per se ad intima ædium penetrare. Hæc dico, ne nimis anxie si non superstitiose cautelis illis ad vitandum quodque vel remotissimum contagium dijudicandis & observandis nos excruciemus, etiam usque ad negligentiam caritatis & officii erga Deum & proximum; atque ita bis, terque miseros nos faciamus ante tempus.

Decima, Cur plerumque ii, qui in corporalibus aut spiritualibus opem suam addicunt egrotis, magis immunes sint à peste quam quivis alii? Resp. Rationibus aliorum rejectis, probabiles adfert ex causis secundis desumptas *Sennerius cap. 2. p. 686.* Sed certissima est, quæ desumitur à speciali protectione Dei, juxta promissionem *Psal. 91. v. 6. 7.*

Undecima, Qua ratione pestis excitetur à Magis? Resp. Modi operationum diabolicarum varii sunt, & nobis admodum occulti. Sæpe dæmones ipsa corpora immediatè afficiunt: Sæpe, ut & vicarii eorum scil. Magi naturalium causarum applicatione uruntur ad venenum & infectionem producendam. *Cardan. de subtilit. lib. 18. & l. 2. de venenis cap. 17. & de Variet. lib. 15. c. 80.* ubi exempla refert. *Sennerius cap. 4. p. 727. 728.* *Gul. Marquis probl. 1. p. 4. 5. 6.* *Aretius problem. de Fascino, Marchinus proteg. § 5. b. Tholomæus syntagm. lib. 34. cap. 11.* *Althusius dicalog. lib. 1. c. 102. 17. 18.* *Ἀφαιρόμενος* mihi videtur,

detur, quod ex Tholosano excogitatum, loco cit. probat Marchinus: Inducere Magos alicubi pestem excitando, vi propria imaginative materiam sui corporis putridam, per quam infecti oculi radios & spiritus animales ad extra mittentes, aërem propinquum vitiant, quo ab aliis attracto, pestis in humanis corporibus procreatur, &c.

Duodecima, An quis bona cum conscientia, certo pretio operam suam locare possit hominibus peste infectis? Resp. Aff. contra Joh. Briaert quodlib. 3. qui (referente Raynaudo part. 3. cap. 1. pag. 392.) maximæ stultitiæ & gravis peccati damnat eos qui vitam pro pecuniola prodigunt. Nos addimus hanc cautionem; si modo supremus illi finis sit gloria Dei, salus animæ, & bonum proximi. Neque enim justum tam periculosi operis stipendium per se malum est.

Decima tertia, Quid faciendum piis, imprimis Ecclesiarum pastoribus, ubi per rigidas leges, aut tyrannicam consuetudinem, misericordia adversus quam maximè charos & necessarios uti non licet? Resp. Edocebunt & Magistratum & populum, de necessaria caritate erga afflictos, in tali necessitatis casu. Deinde, caritatem suam erga dilectos sibi exhibebunt pro modulo, si non palam, saltem clam. Denique, si latere non possunt, & propterea omni publicâ conversatione ac ministerii exercitio ipsis interdicatur, animas suas in patientiâ possidebunt. Interim domesticos imprimis uxorem, parentes, liberos, amicos, non deserent, etiamsi ab omni ministerio ad tempus abstinendum esset. Tum enim peccatum nullum erit in ipsis, sed in illis qui nimio suo metu, ministerium eorum respuunt & impediunt.

Decima quarta, Quid statuendum de origine pestis illius, quam Justinopoli ex contactu funium, quibus ante viginti annos agri portati, & mortui ad sepulchrum delati erant, ortam ex Trincavellio & Francansano narrat Sennertus lib. 4. c. 2. p. 676. ex quâ per contagium 10000. homines mortui sunt? Resp. Credat Judæus Apella, non ego. Cur non potius ad Deum aut angelum ascendimus; quam ejusmodi excogitatis, sæpe insipidis rationibus, hoc agimus, ut omnia naturæ & causis manifestis tribuantur, atque ita discamus nihil fieri, nihil insolens in his judiciis Dei mirari?

Decima quinta, An sanitatis præfecti possint pestilentes, vel de peste suspectos è propria domo & ab urbe invitos extrahere & in nosocomia publica compingere? Resp. Quæstionem hanc movet Marchinus, & ad eam respondet affirmative part. 7. cap. 1. adducto præter Jus civile & canonicum, exemplo leproforum Levit. 13. & 14. & Numer. 5. solos excipit nobiles, & religiosos; de monialibus & sacerdotibus mullitat, & videtur velle distinguere. Nos regulam ejus una cum prosolepticâ exceptione, probare non audeamus.

Decima sexta, An verbi prædicatio, aliquæ conventus ad exercitia pietatis propter pestem debeant impediri? Resp. Neg. Eandem sententiam turtur *Marchinus part. 4. cap. 7.* sed rationibus partim alienis, partim falsis, nullâ *vincula*, aut apodicticâ.

Decima septima, An bona mobilia pestilentum, aut saltem suspecta igni sint comburenda à Magistratu, & quidem absque compensatione? Resp. Neg. contra *Marchin. ibid. c. 3.* Frivolas ejus rationes, quia bona illa inquit, nullius sunt valoris & æstimationis, cum solâ propinquitate mortem adferant, &c. in ipsâ Disputatione diluemus.

Decima octava, Statutum & quidem sub pœnâ capitali, de non admittendis forensibus & quibuscunque viatoribus, deque prohibendo egressu extra urbem, an sit Christianum? Resp. Neg. contra eundem *Marchin. qui cap. 5.* celebrat Urbanum VIII. qui hæc panacæâ universam ditionem Romanam, infectis fere omnibus, ab omni peste liberavit. Miraculum sane Pontificiâ infallibili fide, & omnipotentiâ dignissimum.

11 *Decima nona, An ad arcendam pestem licitum sit uti opera Medici Judæi? Resp. Neg. Marchinus;* sed tamen cum aliqua exceptione. Nos absolute negamus, ob rationes alibi contra Judaicam Medicinæ praxin inter Christianos, adducendas. Tantum meminerit nunc lector Judæos ob venenum & pestem disseminatam in Gallia anno 1320. totâ Galliâ pulsos. Sunt & alia problemata non inutilia, quæ perstringit *Marchinus*; sed quia propriè ad philosophiam & medicam pathologiam spectant, & quarundam determinatio satis incerta, insuper ab aliis jam in enodatione eorum sudatum est, nolumus iis recoquendis immorari.

Sunt autem præcipua 1. Pests cur morbus difficile sanabilis? 2. Cur eâ alii lædantur alii minime? 3. An in humanis corporibus pestiferum venenum naturaliter gignatur? 4. Cur moniales, & carceribus inclusi, senes, vetulæ peste minus corripiantur? 5. Cur corpora peste extincta, præmollia? 6. An & cur à peste illæsus alios lædere possit? 7. An pisces à peste sint immunes? 8. An dentur regiones à peste immunes? 9. Cadavera peste extincta an à feris carnivoris attingantur? 10. An pestis bis, aut sæpius eundem hominem corripit? 11. Robustiores cur præ cæteris peste prostrati? 12. Bubones cur sub axillis, aut in sanguine sæpius compareant? 13. Cur maculæ pestiferæ in dorso & pectore, non in facie conspiciantur? 14. Cur illæ post mortem aliquando compareant, antea non visæ? 15. An aer putrescens sit causa pestilentie? & quomodo contagium aëri communicetur? 16. An pestis inducatur tetra odore; ad hæc visu, auditu, imaginatione, & metu? 17. Quâ anni parte oriatur, ac desinat? 18. Quamdiu in aliquâ Provinciâ vigere soleat? 19. Quodnam contagium sit magis perniciosum? 20. Quænam signa pestis pathognomonica?

Con;

Consecrarium. Si *Ægypti & Turcæ* prætextu fati & morbi *deus ac fatalis*, temere pestis pericula affectant, remedia omnia contemnunt, ut quidem de illis testatur *Proper Alpinus lib. de Medicinâ Ægyptior. c. 15. de his Busbequius in legatione Turcica*, utique longe ab eorum opinione dissident pii & zelosi plerique religionis nostræ consortes in Belgio; quos nolim palam rideri, aut indirectè Turcismi insinulari. Pestisfuga tam trepidi, tam *ἀρεσδοῖσι* si non sunt, & desertores suorum; me minima tamen specie sunt Turcæ, nec Deum temerariò tentant. Media non respuunt, nec Medicinam contemnunt; sed naturam gratiæ, medicinam fidei Christianæ, privatam cupiditatem gloriæ Dei, bonum suum particulare, bono publico virtutis, non preponunt aut præsciunt, sed contra. Ita à pastoribus suis (quos per ipsorum latus etiam tangit calumnia) sunt edocti. Si nonnulli zelo & studio benefaciendi proximo, aliquando videntur imprudentius quid agere, non est illud tam acerbè exagitandum, nedum prætextus turpi timori & fuga hinc quaerendus. Minus malum est in excessu hic peccare, quam in defectu, Conser quæ supra diximus, imprimis Lavaterum in tract. de Peste, & commentar. in 1 Paralip. 21. cuius sententiam ibi per omnia approbo, cum quæ etiam imprimis conveniunt scriptores Helvetii, Germani, Belgæ: Nec in summâ rei dissentiunt Galli, alique. Quamvis aliqui inter eos ad leges & consuetudinem suæ patriæ alicubi nimis videantur decidere. Concludere non pudebit apophthegmate Solymanni Turcarum Imperatoris: Pestilentiam dicebat esse sagittas Dei, quæ à proposito scopo non aberrarent. Si quem hoc teli iactu percutere vellet, nihil fugam, nihil latebras profuturas. Et determinatione istâ Thalmudicorum in *Sanhedrim fol. 29. Quod licet septem annis grassetur pestis, nemo tamen moriatur nisi annis suis completis. Et Chagigagh fol. 4. Nunquid abit aliquis tempore non suo? Quæ si sanè & Christianè accipiantur, uti fatalem terminum accipiendum docuimus in dissert. de Terminis vitæ, utique non magis, nos tangit à nonnullis pestifugis hac in quæstione impacta Turcismi calumnia, quam turpes tabellæ & diffamatoriæ Neo-Pelagianantium scedulæ, quæ nihil nisi Turcismos, Manichæismos, Atheismos, &c. in Orthodoxam Ecclesiarum nostrarum doctrinam detonant.*

Vince metum mortis & viceris metum Pestis.

Addenda ad diatribam de Peste.

CAP. I. Ubi notantur occulta miracula Pestis num. 3. In contagio. Adde, quod cum sævissimè Heidelbergæ & in Palatinatu grassaretur, & paucis mensibus 50. ecclesiarum pastores absumti essent, Urbs Heidelbergensis civibus spoliata, Academia studiosis partim sublati partim dissipatis: ne unus quidem in collegio sapientiæ (quod tantum numerum

complectitur) non tantum sublatus non fuerit, sed nec periclitatus, Teste Pareo lib. 2. exercit. 50. Exerc.

C A P. IV. Ubi inter peste extinctos nomino *Oecolampadium*, Fr. Junium.

Adde, *Wolfgb. Fabritium Capitonem*, *Martinum Borrahum*, (ex *Melch. Adami in vitis theologor. Germanorum*) *Jac. Kimedoncium* theologum *Heidelbergensem* 1596. 26. Novembr (ex lib. 2. Exercit. Parei Exerc. 7.) *Theodorum Bibliandrum*, & celeberrimum *Cour. Gesnerum* (ex *Vitâ Gesneri per Josiam Simlerum* anno 1566. in 4. ubi pag. 18. de *Bibliandro*); *Thomam Erpenium* (ex orat. funebri *Gerardi Joh. Vossii*); *Theod. Bezam*, peste correptum, non tamen extinctum. De *Oecolampadio* habes in *vitis Melch. Adami*, & in *Polani oratione* de vitâ & obitu *Oecolampadii* anno 1593. habitâ, & cum commentariis in *Malachiam* anno 1597. editâ in 8. De Fr. Junio refert *Fr. Gomarus* in oratione funebri, ex quâ brevis narratio de morbo & obitu excerpta præmittitur *Operibus Junii* anno 1613. *Genevæ* editis in fol. Si quis vitas illas perlegat (quod sine fructu non faciet), videbit quomodo pii & præstantes viri, praxi suâ sententiam nostram de fugâ pestis confirmârint; meque & collegas ac successores in ministerio ecclesiastico *Heusdano* ab anno 1625. & deinceps, sæviante illic aliquoties peste exemplo suo docuerint, ovibus & civibus suis laborantibus quævis auxilia ac solatia in vitâ & in morte pro viribus præstare; non obstante, quod collega meus, per Dei gratiam etiamnum superstes anno 1626. ~~seu~~ illo morbo afflictus esset, mensibus aliquot ante extinctis liberis; & uxor mea eodem anno gravissimè excruciatâ per eundem ignem transisset; paulo ante uno ex liberis meis sublato.

C A P. V. Fere sub finem, ubi de *Maria*, quæ *Papistis* inter pestis patronos numeratur:

Adde, ex *Ferreolo Locrio* lib. 2. cap. 11. & 13. *Mariæ Augustæ* (referente *Nic. Vignier* part. 2. *Theatri Antichristi* pag. 101.) Quod *Antwerpenses* anno 1603. peste afflicti ilico votum fecerint *Mariæ Zichemienſi* seu *Aspricollensi*, (cujus miracula & cultum à *J. Lipsio* grandisonis modis pompata, ut phrasi utar *Sedulianâ*, doctè excussit *Georgius Thomsonus*) eique duo argentea candelabra dono miserit, cum hâc inscriptione:

Suscipe sancta parens, ex voto Antwerpia munus

Quod dat, neu pestis crescat acerba lues.

Et *Bruxellenses* eodem anno ob similem causam dono miserint coronam argenteam, hac cum inscriptione: *Reginæ cælorum SS. Dei matri B. Virgini Mariæ Bruxella morbo afflictâ supplex obtulit. Ann. 1603.*

C A P. VI. Sub finem, ubi cito *Ursini* Exercit.

Adde, *Parei* *Exercitationum* lib. 2. Exercit. 49. *Alstedium* in *Casibus* consc.

cap.

cap. 43. Imprimis Zegedinum in locis commun. de morte tab. 2. ubi rigide contra fugam disputat.

C A P. VII. Ubi cito autores Pontificios, qui animarum curatoribus fugam prohibent:

Adde, iis Becanum part. 2. Theol. Scholast. tom. 1. tract. 3. cap. 6. qu. 4.

DE EXCELSIS MUNDI

Ad VII. Decalogi præceptum

P R I M A,

Quæ est

D E C H O R E I S.

Resp. JOHANNES LE FEBER Mediob.-Zeland. 30. Septemb. 1643.

Excelsa Papatus seu idololatriæ allusione ad phrafin & idololatriam Israelitarum. nobis dicuntur reliquia sive instrumentorum & utensilium, sive observationum & rituum, quæ idololatriæ antehac usurpare solent: de quibus egimus in 3. part. select. dilpp. tit. de Idololatriâ Indirectâ, aliisque ibidem citatis. Ad imitationem istorum vocamus Excella Mundi omnes reliquias aut instrumenta aut allicia, aut occasiones, & irritamenta, aut progymnasmata, aut signa vanitatis mundi, quæ cum reformatione doctrinæ ex ecclesiâ reformatâ ubique accuratè expurgari non potuerunt; aut expurgata subinde & de novo eam sic tentant, & infestant, ut nonnulli ex auditoribus, quin etiam ex membris ad illa tanquam scopulos, adharecant; & religioni suæ ignominiam, ecclesiæ molestiam, piis dolorem, infirmis scandalum, hostibus ludibrium pro virili obiciant.

Opponuntur autem ea variis decalogi præceptis. Ex. gr. Tertio & octavo sortes ludicræ, sortes & lusus illicitè lucratorii, Usuræ promiscuæ, aut non satis limitatæ: de quibus alibi egimus. Sunt & nonnulla contra nonum præceptum, verba scil. otiosa, mendacia officiosa, verba honoris & adulatoria aliique abusus linguæ. Sed his aliisque compluribus nunc missis, statuimus hæc vice ad petitionem studiosorum nostrorum ea solummodo examinare, quæ incurrunt in septimum præceptum.

Sunt autem ea 1. Choreæ. 11. Comœdiæ. 111. Luxus in conviviis & symposiis. 1v. Luxus in vestibus & suppellectile. v. Abusus in Ornamentu capillorum, faciei, &c.